


~~17-52~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

17-52.

SIGNAT. CLISCCGXIII.





Sim  
2. R  
3. h  
4. G  
5. v  
5. o  
7. i  
8. c  
9.  
10. f  
11. v  
12.  
13.



- Simplicii, Joh. Theodoti, Palladium sanctae religionis Catholicae, Apostolico Hungariae regno consecratum. *Erzmaai*, 1670.
2. Religions Geysser, Joh. Theodoti Simpliciani und Gottlieb Christiani, gesaltten auß der Reichs rath Emanu, 1677.
3. Klefchi, M. Danieli, Inaugurationis templi, quod Sigismundus Toköly in castro Scharnik extruxit, Aetionica descriptio, *Dartphae*, 1670.
4. Jakobaea, M. Jakuba, Pascha lachrymosum, in clutae urbi Eppe-  
rensi ominosum. 10 *Terocci*, 1643.
5. Abate pacis, pro voce Genicis erectum, Aetiae Pelati Patilaeorum  
Luc. II. 1. substituendum, 17. *Tyrnauiae*, 1721.
5. Querela Hungariae. <sup>hanc sicut aliquis nebula excidit affe-  
1789.</sup>
7. Klefchi, M. Dan. Catalogus presbyterorum Scepuseusium, *Dartph.*  
1669.
8. Eindeh, idem.
9. Jacobaei, M. Jacobi, Idea mutationum Bohemo-Euangelicarum  
ecclesiarum, in florentissimo regno Bohemiae. *Amsterdam*, 1624.
10. Ein Offenbarung und Anstelt, das geschehen ist Sigismundo zu  
Freyburg auß dem Anstalt obrn, von der Grotzöring Landt  
und Königin, und Anstolung der Fünffterstast. 1527.
11. Sultei, Sedeni, Προμνησις, sive admonitio breuis ad Christianos re-  
gni Hungariae ciues, de retinenda veteri doctrina in Angelt. *Dartph.*  
*prehesa*, *Dartphae*, 1599.
12. Bösm, M. Merkini, Dissert. Aetionica III. de Syncretismo eiusq. pro-  
machis. *De p. Clia Sartorio*, *Thorubii*.
13. Matthaeus, Samueli, Praef. Jo. Frid. Mayer, *Roma et Geneva*  
*Hungariae irreconciliabilis*, *adu. Samuelen Negrini*. *Grypsiswald*.  
1708. *reusa*, 1713.

14. Kuzerae, Joh. Disquisitio Historico Theologica, quae hodie-  
rnam Rnam ecclesiam horrendae idololatriae conuictis,  
Leuschoviae, 1643.
15. Jacabrae, M. Jakuba, Měrná a kermjragicy paměť založení  
Dona Božího ro Křesťoně, 1642. ro Servočě.
16. Eiusdem Elegidion epovikio-onomasticon, de quadruplici in-  
fitectione diuinitus facta, inclutae vrbis Cileniensi, in fundatione  
templi continuatum. 1642.
17. Acta et conclusiones Conuictes per Synodi, certorum incl. regni Hung.  
Baronum, Magnatum et Nobilium, nec n̄ legatorum et ministrorum  
Itaq. Conf. ex decem C. Danubianis Unitatibus Volras congre-  
gatorum 1610. diebus 28. 29. 30. Marti. Soluae. 1708.
18. Acta et Conclusiones Synodi Augustano Evangelicorum, Rosenbergae  
1707. celebratae.
19. Acti parenti filiorumq. Iuliana et vota, quibus Joh. Daxerum, Noui folii  
enocatum, prosequenti; Cassov. 1667.
20. Programma de fatali bonarum artium contentu, Coloniae Brandeburgicae.
21. Epistae publicae Scholarum querebrae, in scholas priuatas etusae. Ibidem.
22. Herbini; M. Joh. Horae Jurico-Catecheticae. Jedar. 1675.
23. Mittwochii, M. Jo. Fab. Dissert. Historica, de Capite ieiunij, vulgo,  
die Affenmittwoch, Lips. 1693.
- † Acta Synodi Reper. Varalya 1614. celebratae.

# ALTARE PACIS

*Pro Votis Irenicis erectum*

## ARÆ PILATIGALILÆORUM

*Luc. XIII. 1. substituendum, super Tumulum*

## OPUSCULI THEOLOGICI

*In quo quæritur. An possit Princeps, Magistratus, Dominus Catholicus in ditone sua retinere Hereticos, vel contra penis eos, aut exilio ad fidem Catholicam amplectendam cogere,*

*Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Comitis*

# GABRIELIS ANTONII ERDÖEDI

*De Monyorokerek*

## EPISCOPI AGRIENSIS,

*Montis Claudii & Comitatum Varasdinensis Perpetui,  
Hevesiensis vero & exterioris Szolnok Supremi COMITIS,  
Abbatis S. Georgii Militis & Martyris de Jaak,  
Sacrae Cæsareæ Regiæque Majestatis Consiliarii,  
sumptibus in Lucem editi, atque*

## EXCELSÆ REGIÆ ac INCLYTÆ,

*Regni Hungariæ, in Negotio Religionis,  
ARTICULARI COMMISSIONI, ab Eodem oblata.*

*TYRNAVIÆ Typis Academicis per Frid. Gall. 1721.*

*BASILEÆ, per Philadelphum Timotheum, 1722.*

*Recusum pro voto Fautorum. 1729.*

859



## Epistola Commissariorum Assyriorum. Esdr. 4. C.

*Audierunt autem hostes Judæ, quia filii Captivitatis adificarent Templum Domino Deo Israel, factum est igitur ut populus terra impedirent manus populi Judæ conduxerunt adversus eos accusatores, qui destruerent consilia eorum, & scripserunt Epistolam in principio Regni Assveri, talem. Reum beelteem & Samsai scriba, Regi Attraxerunt servi tui salutem dicunt; Notum sit Regi quia Judæi qui ascenderunt a te ad eos, venerunt in civitatem Jerusalem, Civitatem rebellem & hereticam, quam adificant & componunt parietes. nunc igitur notum sit Regi, quia si civitas illa adificata fuerit, tributum & vectigal non dabunt, & usque ad reges hæc noxa perveniet, idcirco nunciamus Regi, ut recenseas in historiis Patrum tuorum, & scies quod urbs illa rebellis est & nocens Regibus, & provinciis, & bella concitantur in ea a diebus seculi, nunciamus nos Regi, si Civitas illa adificata fuerit, regnum transfluvium non habebis.*

## Epistola Commissarii Dei. Esdr. C. 6.

*Tunc Darius Rex præcepit & perquisiverunt in chartophylacio tabularum de Babylone, & inventum est in Ecbatanis volumen unum, ubi scriptum erat. Anno 1. Cyri Regis, Cyrus Rex decrevit, ut Domus Dei adificetur in Jerusalem, sumptus autem de thesauro Regis dabuntur, & vasa templi Dei aurea & Argentea quæ Nebucadnesar abstulerat de Templo Jerusalem & tulerat in Babelem, reddantur & referantur in Templum Jerusalem. Nunc ergo Tarbanei & Consiliarii vestri, procul recedite ab illis, sinite opus Domus Dei, ut restauretur, & de arca Regis sumptus dentur illis, ut oblationes offerant Deo cæli, & orent pro vita Regis & filiorum ejus, a me ergo est Decretum, ut quisquis mutaverit hoc mandatum, tollatur palus de domo ejus, in quo erecto configatur, domus ejus fiat sterquilinum. Deus autem cujus Nomen illic habitat, dissipet omnia regna, & populum, qui extendent manum suam ut repugnet & dissipet Domum Dei illam in Jerusalem. Ego Darius decrevi quod studiose impleri volo.*

Vera scribere periculum, falsa Crimen. *Aveninus.*



# ILLUSTRISIME COMES,

Epistolam ad Reverendisimam Vestram Dignitatem  
scribere meditati, illæ lineæ Horatii occurrebant

*Aurea libertas toto non venditur Auro  
Invidus alterius rebus macrescit opimis  
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet  
Si vis me flere, dolendum est.  
Primum ipse Tibi*

Certo, quicumque *Hungariam* Patriam nostram spectare hodie, sine gemitu vel lachrymis potest, nã ille aut stupidus, aut vero adeò malignus, ut præ animi perverfitate non tangatur, tam *antiquæ Gentis Christianæ*, publica calamitate. Ac stupido quidem atque inepto Homini, nemo facile succenserebit, qui autem eò usque profectus sit insolentiæ, ut tantis Malis Popularem suorum delectetur, illum profectò ex *Hungarorum genealogia* ejiciendum spero quivis mecum Patriæ bonus alumnus cordatè judicaverit. Eo nempe devenimus *Hungari* miseræ, ut vix quidquam illi addi possit, præter moram longiorem, sacris Profanisque Privilegiis omnibus pollutis imò conculcatis, neque unquam tam infelici fuimus tempore, ex quò in unam Gentem *Hungarici*, Populi coivere, *Tota jam novem sunt sæcula cum S. Stephani Regis* rara felicitate, omnis *Hungaria* unum sceptrum cœpit colere. Quamvis enim tam immenso temporis intervallo nunquam pœnituit *Hungaria* mala symptomata defuere, *Delphicum scilicet*, quasi est illud *Livii*. *Nulla magna Civitas diu quiescere potest. Si foris hostem non habeat, domi invenit; attamen illa nusquam, aut tanto cum damno, aut tali cum periculo fuere connexa. Præcipue, statim atque accesserat, vizium illud, æque aliis Regnis exitiosum, nimia quorundam*

A

dam Procerum, sacrorum præprimis Potentia, eaque *no-  
vo vitio* pœnæ hæreditaria facta, cum hi, præter *opes*, etiam  
*Religione* irritarentur; Quod ipsum, quodnam minitetur  
*Hungaria* malum, non potest latere peritos rerum Patriæ.  
Tum enim eum in statum res collapsæ sunt, ut vix qui-  
quam superfuerit amplius; quo nobilissima præstantissi-  
maque antè Regni Membra, ad communia consilia con-  
tinerentur, præter *Turcica Potentia & Proscriptionis metum*. Quæ  
tamen mala futura, Sacratissimorum Regum *Hungaria*, Pu-  
blica Diplomata toties, *Gentis* jam in natalibus suis morbis  
*Clinica*, Sapientissimè & clementissimè obviare provide-  
rant, sed vix cœperat illa Constitutio, quum exorto *Re-  
ligionis dissidio*, ita statim Principum, Populorumque animi  
sunt distracti, quàm antea nusquam, enatisque *Religionis*  
aut *causa*, aut *prætextu* variis factionibus, effectum est, ut  
Optimo *Pacis Publica Instituto*, quo uno *Hungaria* stabat, spe-  
ratus fructus identidem hæcenus dilapsus sit, conjecta-  
que hodie *Hungaria* discordiis nostris *Illustrissime Comes*, in  
eas angustias ut antegressa mala ludum jocumque præ-  
hisce, merito quis dixerit. Quæ enim natio, inter tot  
potentes Principes ejus *deliquio* inhiantes tutò quiescet,  
ubi *Dominatus* novo titulo quæritur, ubi pax & tranquilli-  
tas *irritamentum* est *servitutis*. Et verò bellis intestinis im-  
plicita gens, nonnisi civilia cogitat, nil metuens nisi ci-  
vile, de reliquo secura quasi aut a nemine videretur,  
aut medios inter amicos ageret, sæpius etiam id evenit  
quod alibi dixit T. Livius; *Ut pars quæ domestico certamine  
inferior est externo potius se applicet, quam civi cedat*. scilicet,  
odio præsentium agitantur demum partes, ut sperent sa-  
lutem ab iis etiam quos suæ Saluti infidari, aut non  
ignorant, aut remota tantisper *affectuum nebula* ignorare non  
possent.

Utinam verò non etiam nobis immineat, quod verè  
olim *Crispus* de Romanis divinavit. *Ego sic existimo* dixerat  
ille ad Cæsarem, *quoniam orta omnia intereant, quæ tempestate*  
Ur-

Urbi Romana fatum excidii advenarit, Cives cum civibus manus conferturos, ita desessos & exsanguis Regi aut nationi prædæ futuros, aliter non Orbis terrarum, nec cunctæ Gentes vicina conglobata, movere aut confundere queant hoc Imperium. Certe non etiam nostram istam Patriam Hungaria, vel uniti Vicini Populi Omnes, vel remotiores Turcæ sive Christiani laceffissent, impune, si concordēs egissemus, vel idem volentes, vel idem nolentes in commune consuleremus. Contra autem cum a nobis fiat, prohibeat saltim Clementissimum Numen id omen, transferatque in hostes illud malum, quod prudentia nobis metuendum indicat. Neque enim tantum externis patet ad ictum Regnum suis dissidiis, sed & ipsis civibus, ipsis amicis, ejusdemque Sacramenti hominibus, maxime ubi veram, atque sine exceptione victoriam aliqui expresserint, habent quippe illi tum in manu Rempubicam, inque arbitrio suo, quam ut velint in pristinum statum reducere, vix possint tamen, præ acceptæ injuriæ memoria & metu vindictæ, Omnia scilicet, ut M. Tullius scribit, sunt in bellis Civilibus misera, sed nihil miserius quam ipsa victoria, quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferocios, impotentioresque reddit; ut etsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur, Multa enim Victori eorum arbitrio per quos vicit facienda sunt. Rari sunt Gideones. Judicum. 8. v. 23. qui cum possint, non etiam velint dominari, hostibus devictis, aut Rempubicam ipso demum loco cupiat esse, quò cum esset, esse ipse non poterat suo loco. Videlicet huc Tragædia ista collineat, ut dominatus ex victoria Civilis belli natus, non tam vitio vertendus sit victori, quam illi, Christo Domino Judice. Joh. 19. v. 11. qui belli auctor temerè fuit, cum movere istius modi bellum, malitia sit plerumque desperata: dominatum armis partum nolle dimittere, communis mortaliū Impotentia: ut taceam nunc cum Reipublicæ periculo conjunctum, non tantum si alterutra pars plene vicerit; sed si vel leviter vicerit, ut nuper tempore Principis Franc.

*Racocii*, statim enim illa præponderat, trahitque *Reipublica* secum aliquam partem, quod profecto communi libertati perforat inimicum: ne illud quidem recenseo, quod etsi æquis partibus finiatur contentio, maneat tamen alta mente repostum, inflictum utrinque vulnus, haud rursus coeunte facie vera amicitia ac firma societate, qualis casus. Rev. Episcopus meminit in hoc *Opusculi sui Theologici præmio*, quâ sine tamen nulla Patria salva est.

Cæterum quamobrem isthæc *Reipublica* nostræ mala nunc tango, quum tamen *Hungaria* maximè interfit isthæc æterno silentio obduci, Equidem fateor *Illustrissime Comes* nihil magis in rem nostram posse fieri, quam si ulcera nostra, alios lateant, ut pote quibus per ipsorum Conscientiam, maximè vilescant *Hungari*, adeoque *Dominatui externo* recenti moveamus salivam: sed quei ignorat, qui ungves in nostris ulceribus habent, aut verò quomodo tegamus, quæ in Orbis universi oculis, ita haftenus versantur, ut & ipse in partes sit raptus, non Turcæ solum sed & Christiani, idque veluti suffunderent pro frigida oleum, vel ne damni alieni communione ipsi afficerentur. Neque tamen ego isthæc sine ratione apud *Illustrissimum Comitem* conqueror, sed cum ne nihil agerem in *Patriæ* hocce, quo *Dominatio Vestra* in hoc suo *Opusculo Hungariam* obruere nititur, incendio, tum ut de optima nota commendarem istam *Prudentiam Ecclesiasticam* cujus Reverendi Episcopus pag. 32. his verbis meminit, *Iuste ac prudenter in hoc negotio procedendum esse, novi equidem opportunè impertune instandum docendo primum deinde viis modisque severioribus.* Hæc profecto verba D. V. mihi & occasionem dederunt, & spem curationis ejus in nos afflictissimos *Protestantes Hungarorum* intimationis fecerunt, ut de hac *Prudentia Ecclesiastica*, ad *Illustrissimum Comitem voto Pacis* scriberem. Etenim nemo prudens membrum *Ecclesiæ oppresse*, aliis satagentibus, cum *Diogene dolium* volverit; neque *Rem publicam* attingo ego, illorum vero potissimum, quibus ejus Curam, aut  
nascens-

*nascendi Lex*, aut *sacramentum* injunxit, in officio sit confu-  
lere in Commune, filere tamen & quiescere in utram-  
que aurem cum *Jona*. Cap. I. tanta tempestate *Patriæ* dul-  
cissimæ, ab *Illustrissimo Comite*, in hoc *Opusculo* suo conflata,  
si nihil aliud, saltim privata, quæ ex publico proveni-  
unt mala quotidiana, etiam me & mei ordinis homi-  
nes, non permittunt; Etenim nos quidem præda tan-  
tùm victori fumus, ut *pilas* nos agere illos excelsos *Ter-  
rarum Joves*; Conqueri tamen licet & nobis, quod præ-  
primis, nos *Ecclesiarum Pastores*, primi in prædæ partem  
veniamus, duriusque ante omnes, allidamur solo, for-  
tean vero, & acclamare cum illis *nautis Jona* Cap. I. 6. in  
periculum ruentibus istis *Magnis Diis*, obligamur.

Maxime me isthoc *vorum Pacis* tamen *Illustrissio D.*  
*Comiti* insinuare fecit, *Ministerii* mei status isto *Articulo*,  
ab *Aula Cælestis Principe*, Omnibus *Episcopis Ecclesiæ* præ-  
fixo. Matth. 10. 16. *Ecce ego mitto vos velut oves in medio Lu-  
porum, estote igitur prudentes, ut serpentes, simplices, ænececi,*  
*sine cornu*, aliis, bella, vulnera, disipationes, læsiones  
minante, ut *columba*, quæ felle carent nemini nocent, ne  
iis quidem a quibus malè afficiuntur, direptoribus *ovo-  
rum suorum & pullorum*, quibus nihil admixtum est doli  
& verfutia, nemini ullam nocendi occasionem præben-  
tes *mites & innocui*. Quia ergo hanc *cælestem philosophiam*  
mihi commendare, *Professio*, commendare autem non li-  
ceat, nisi adductis in scenam *Patriæ* nostræ jam jam sur-  
gentibus malis quæ ex hujus prudentia *Ecclesiasticæ*  
imprimis neglectu hoc & superiori seculo maximam  
partem profluxere, nunc vero emendari nequeunt, nisi  
ex illa ipsa *Prudentia Ecclesiastica* remediis comparatis, ni-  
mirum, *ars bene vivendi*, ut *Tullius* sentit *est prudentia*, ut  
*medicina*, *valerudinis*, Prout igitur *salutarem suam artem* lau-  
daturi *Medici* interest, recensere vim morborum, ita  
proculdubio, quo pateat tandem *Popularibus* nostris *Ec-  
clesiastica prudentiæ*, non utilitas dico, sed plane *necessitas* in

rem est non tacere, quæ *Remp.* maneant mala, nisi a *Nau-  
tis Ecclesie* provideatur; satis enim, imò plus satis luit  
hactenus *Hungaria*, negligentius habitæ, hinc a *Romana*,  
inde ab *Evangelica Ecclesia Antistitibus*, *Prudentia* hujus a *Sum-  
mo & Unico Pontifice Christo D.* inculcatæ, *Ecclesiastica*, cul-  
pam. Utinam tot moniti discriminibus rectius utriq;  
in futurum sapiamus. Enimvero, si suus *Prudentia* hujus  
apud nos fuisset locus, non arma ista, ineunte hoc se-  
culò induisset in sua viscera *Hungaria*, quibus *Nobilitas*  
cum *Plebe & Major Patria facies* in cineres & favillas di-  
spersa jacet, *triste servitium*, nescio cui tandem præbitura.  
Ut vero *prudencia* isthac neglecta, in has præcipue arum-  
nas incidimus, ita proculdubio, si quæ adhuc *spes superest*  
salutis, ab eadem syncerius & diligentius culta, unice il-  
la expectanda est. Et vero unde collabescens aliqua  
*Resp.* præsentius capiat auxilium & ruinæ suæ fulcimen-  
tum, quam ex illa *doctrina*, quæ sola novit, quid fugiendum  
publice, quid appetendum sit, quæ sola pericula damna-  
que expendit, quæ denique spe metuque utrinque libra-  
tis non ignorat *medicinam* malorum; neque enim est, cur  
in his negotiis aut *Ammonem* consulamus, aut petamus  
*Delphos* aut inspiciamus *extra*. Ezech. 21. v. 21. aut *aves* ob-  
servemus, aut postremo *Chaldeos* vestros *Jesuitas* interro-  
gemus, aut talia *Opuscula* *Excelsæ Regiæ* ac *Inclytæ Re-  
gni Hungariæ* *Commissiõni* *Articulari* oblata, vel *Somnia*  
*Catholica* qualia sunt proxima *P. I. Samuelis Timon*, potius  
*Dæmon*. 1. Sam. 28. (Ut alios *Hariolos Cassovienses* nostros ta-  
ceam) obtrudamus, non enim sunt ii aut arte *Divina*  
aut *scientia*.

*Sed Superstitiosi vates, impudentesque Harioli*

*Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.*

Quamvis & hic locum habeat ille *aphorismus Medicorum*,  
*In morbis acutis non in totum certæ sunt prænunciations*, neque sa-  
lutis neque mortis, quippe quum in talibus *Patriæ* conver-  
sionibus non tantum aliquod *acutum* sit, verum etiam  
fara-

*fatale, quod ut a solo Deo est, ita solius Dei est scire; quæcunque tamen in his humano ingenio sunt pervia, illa profecto non astra, non aves docebunt, sed prudentiæ oraculorum annales, Corniger hac nobis non altius imprimet Amon Timon, ab illis etiam promptius remedia, malis nostris impetrabimus, quàm Græci olim Delphis. Et vero in ea incidimus tempora, quando non ampliùs æquùm est hæc contemnere inconsulta; ut enim impetrent veniam negligentia suæ, tempora antecessa, Pazmanniana, Lippayana, Telegdiana, Jakusichiana, Draskowisiana, Szelepteniana, Szecheniana, Kisdiana, Kolonichiana, Telekessiana, hæc certò nescio qui inveniant, nempe ut secundo vento tranquillo Cælo, inque alto, longe a rupibus, sine periculo clavis navigii, cuius etiam committitur, inter fyrtes vero aut depræliantibus aquilonibus. Eurisque, ad solum Nauclerum recurritur. Chryfologus 5. 6. Blandiente aura navim regit ultimus nauta, in confusione ventorum, primi quaritur ars Magistri, sic placida adhuc Republica Hungariæ fortassis licuerit non advocare Prudentiam hanc Ecclesiasticam in consilium, & potuerint illam non male moderari vel de trivio homunciones, at nunc cum summa imis vertuntur, quumque error quilibet in Dieta Corporis humani, habeat quid lethale, profecto, illis moribus vivere & nefas magnum & desperata dementia fuerit. Quod si prudentiæ hujus consilia audire, vel nolimus vel nequeamus, quid superest (absit verò æternum illud omen) quam ut ferale illud clametur. Exequias Reipublicæ ac libertati Hungariæ, quibus commodum ire hæc tempus est.*

*Neque enim cum vulgo speremus (quod ille dixit) nihil agentibus insinuum de cælo de volaturam prosperitatem, nolle ictum piscatorem sapere, id ipsum Deum est, offendere, ut velle, ejus est Legibus obsequi, certumque est divinæ nemesis criterium, caligo menti Præpositorum offusa, quod non tantum sacris Literis traditum est, sed & notum Gentibus dicente Ammiano Marcellino manum injicienti-*

entibus satis bebetari sensus hominum & obtundi; quam in sententiam dixit Vellejus Paterculus, cujuscunque fortunam mutare (fatum) constituit, consilia corrumpit, nec vero, etsi stultitia etiam interdum Deus emendet, est, quur perpetuum sulcritia suæ presidium quis sibi polliceatur, rara quippe ista sunt, nec trahenda in exemplum, saltim, non in spem secundorum eventuum; ad rem certo ille apud Crispum, non votis neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo prospere omnia cedunt, quod etiam Pretendenti Angliæ, nuper jaëcturam exercitus sui in Hibernia effeminate lachrymanti, Principem E. respondisse, fertur, Omnino evigilantibus navarchis Ecclesiæ Hungariæ, post liminio in integrum etiam res nostræ Patriæ redirent pristinumq; decus, Libertate Episcoporum, & temperato Principato, ut neque, in hoc Libidinem, neque in illis, Licentiam, tum habeamus metuere, sed sacra Legum Patriarum auctoritate cuncta in officio contineantur; absit enim, ut vel in hac tenui fortuna desperemus, omnia meliora, aut majorum gloriam extra oculos collocent Optimates Hungariæ; tum apposite scriberetur ab Illustrissimo D. Comite, quod in alloquio hujus Opusculi Theologici ad Excelsam Regiam & Inclytam Commissionem R. Subnectit Hoc munus meum Episcopale, hoc majores totaque familia mea, Patriæ (non Romanæ Religionis.) Semper studiosissima, hoc Patria, Regnumque Apostolicum exigere a me videbatur; Etenim regnet modo in singulorum animis Cura integri Reip. Corporis H. penitusque omnibus sit persuasum, Partes status Hungariæ Romanæ & Protestanticæ Religionis, non nisi uno vinculo, unoque Spiritu fore salvas. 1. Chron. 12. 38. Act. 4. 32.

Omnino hoc animo atque hac sententia obtinente, brevi efflorescunt ipsi etiam cineres Patria, stabitque Hungaria firmitus, suo quàm Palladio Troja: certo, contraria opinio, quasi totius Corporis non habenda sit ratio, neque Protestantium Hungarorum, sed singulis suam rem agere satis sit, Hungariæ



gariæ evertendæ, & ex suffragio adulatorio *Hamanis*. *Esth.* 3, 8. 9. est nata. *Pfal.* 83, 4. 5-13. *Ecclesiam esse in Republica, non Rempublicam in Ecclesia, ex Optato Milevitano* monet *Christophorus Besoldus Politic. L. 1. c. 3. n. 6.* adeò ut mota *Religionis anchora*, ipsa simul turbetur *navis Reipublica*, teste omnium ætatum experientia, itaque, si sententia *Unionis omnium in animis* insideret, omnes etiam se se ad concordiam componerent, mutuamque amicitiam, quâ, res quantumvis parvæ ( ut *Fœderati Belgii ex Salustio* symbolum & factum clamat ) in sui formidinem solent crescere. Atque ita odiis detumescentibus, forte & *Religionis negotium* se mitius haberet, quò tamen (cujus duntaxat obtentu) potissimum nunc *Hungaria* in partes scinditur aliturgis *disfidium nostrum Internecinum*: non enim est fortean quur vel in tantis animorum fluctibus tranquillitatem omnem desperemus, si *procul gratia, procul odio*, partium judicia collocentur, nec *superstitio fascinet oculos fidei*.

Cur enim religioni non ascribamus *Vatinianum* illud ob *Religionem* inter nonnullos animum, vincentem propè furores *Judaicorum Zelotarum*, odium. Quemadmodum enim his *Religio* fuit vel *monstrare vias, eadem nisi sacra colenti*, vel beneficium accipere nisi a suis, ita videre est hodie in parte pietatis a nonnullis poni, *odium hostile in Evangelicos*, eorumque nullam *gratiam, nec veniam* ullam ut *Theologicum opusculum* pasfim loquitur habendam. Atque illos quidem, nec rationali pietate, aut justa *Mosaica Legis* observantia, istam inhumanitatem induisse, *partim exemplo proprio nos docuit Salvator in Samaritide & Joh. 4. insigni parabola de Samaritani alicujus beneficentia erga viatorem a latronibus prope enecatum. Luc. 10.* Sed & nostram *Inclémentiam* quis possit amplius in officio Christiani cultus numerare, posteaquam, & in *inimicos extendendam benignitatem, & fide infirmum assumendum, non ad altercationes disputationum, ex articulis Regni Cælorum intellexerit, & servum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum tol-*

levantem malos, cum lenitate erudiantem eos, qui contrario animo sunt affecti, si quando det eis. Deus forte resipiscentiam ad agnitionem veritatis. 2. Tim. 2, 24. at si tam mitem gerere Pastorem Ecclesiae decet, qui gregis fuerit latrare ac mordere, qui Pietas fuerit, quod in Episcopo est impium. Urget vero adversarius, idem tamen Apostolus, hereticum, post unam & alteram admonitionem jubet vitandum (sicut Theo. Op. p. 53. pro argumento laniena in Protestantes Hungariae, producit), sed qualem sane? non alium, quam eum, quem quis novit deploratam salutis esse, sciens, quia talis ait *everfus est, & peccat per se damnatus*. Tit. 3, 11. nec tamen vel ejus hominis omne fortassis vitandum consortium fuerit, saltem, non illud quod occasionem queat objicere corrigendi.

Longe sane aliter & ipse Apostolus tractavit & tractare jusfit nos, eos qui ab hereticis decepti spem adhuc relinquunt emendationis, Corinthii, futurum corporum reviviscen-  
*am* negabant. Galatae. Moisis Legem, fidei, vinculo impio annectebant, ut necessariam, in aliud plane Evangelium traducti, sed cum his agens Apostolus, ipsa mansuetudo est, obtestatur, monet, increpat, instituit, ut Fratres, ut Santos, nihil certo hic videas durum vel inhumanum, immo, Summus Ecclesiae Herus & Pontifex, eum, qui Ecclesiam recusat audire, non alio quam Publicani loco vult esse, munera humanitatis non tollit, vel caritatis, nec quem limitibus excludit, ut qui ipsemet cum Publicanis & Peccatoribus conversatus fuerit, infirmorum sanitati consulens. Zelus iste contra Dissidentes Protestantes Zelus amarus est, & carens scientia, illa saltem, quae primum quidem casta est, deinde pacifica, aequa, obsequens, plena misericordia & fructuum, bonorum operum absque Disceptatione & minime simulata, ita Jacobus Apostolus Cap. 3, 17. illa, iram cohibet, benigna est, non agit perperam non inflatur, non agit indecore, non querit quae sua sunt, non exacerbat, non cogitat malum, omnia sperat, omnia sustinet, ita Paulus 2 Cor. 13. charitatem, caelestis scientiae Filiam effigiat; hac dulcorandus sane est Zelus, noster, ne mendaces reperiamur contra veritatem

*ritatem et iunēs moderatio nostra innotescere debet omnibus. Phil. 4, 5. Si quis Sapientia & Scientia præditus inter vos, ostendat, ait Jacobus A. ex bona conversatione opera sua cum mansuetudine sapientia, quod si æmulationem zelum amarum habet & contentionem in corde, nolit talis gloriari & mentiri contra veritatem, non enim ista sapientia e cælo descendens, sed terrena animalis demoniaca, ubi enim æmulationis & contentionis zelus est, ait, ibi est inconstantia, & omne perversum opus pragma Satanicum.*

Revoco ego heic Ill. Comitem ad articulum 5. Scti Stephani Regis Hungariæ Primi quo filium S. Ducem Emericum instruit. *Patientia & Judicii observatio, quinta Regalis corone est ornatio, David Rex antiquus Profeta dicit, Honor Regis judicium diligere, de Patientia Paulus Apostolus loquitur, Patientes estote erga omnes & Dominus in Evangelio, in patientia vestra possidebitis animas vestras, ad hoc tende. Fili mi, si vis Regni habere honorem, dilige justum judicium si animam tuam possidere vis, esto patiens, addatur artic. 6. totus & X. totus. Hæ autem tam longæ & Apostolica & Regiæ Institutiones, moderationem illam nobis præscribunt, qua, injuriarum discordiarum veterum, quibus inter nos collisum est, memoriam deleamus, novarum occasiones, causas prætextus devitemus, alter alterius onera portemus, toleremus infirmitates, offensas condonemus, deponantur a nobis infensa præjudicia, nec iniquis suspicionibus indulgeamus, Credulitati malignæ ac temerariæ censuræ tempeamus, nec calumnias in vicem struamus nec detrahimus, nec dicta duriori pervertamus interpretatione, nec probris immeritis quempiam incessamus, in neminem factyrica petulantia, more Jesuitico invehamur, nec insolenti cum ferocia detonemus, nec religionis fuco, inveteratum odium, aut Zeli pallio turpem invidiam, aut veritatis obtentu atrocem malitiam occultemus; Sed Christianam inter nos pacem concordiam ac benevolentiam more majorum nostrorum colamus, Venite ad me omnes, qui onerati estis,*

ego sum corde mitis ait Salvator noster. Matth. XI. & Apostolos Frates, ob denegati hospitii ignominiam, igne servituros, cohibuit, adjecto proprii sui spiritus elogio. Luc. 9. quomodo igitur hoc opusculum, a Rev. Episcopo Theologicum intituletur, cum nihil nisi cædes exsilia, excidia, flammæ spirerent, ut merito sciscitari queat Lector, Christianus, cuius afflatu, intuitu illa Capita, in Theologia sua, truculentam imperitiam suorum Synnistarum, Excelsæ Regiæ Commissariis obtulerint; non equidem disputabo hic sit ne partium aliqua hæreseos nomine infamanda, vel inquam earum, merito hoc congruat probrum, an in mirram Episcoporum Romanorum, an in Pileum Protestantium Ordinum; sed, ad blasphemiam Theologi, quæ, eam Religionem, quàm divinitus inflammati Profetæ ac Apostoli promulgarunt, quamque Evangelici tot Reges Principes, ipsius Sacr. Cæsar. R. Majestatis, Clementissimi Regis nostri, Fratres, Cognati, Affines Amici in Orbe Christiano, abjectis Præsulis Romani additamentis mutationibus & abusibus, unicè profitentur, Hæresin appellasset, Cæli, Terræque contremiscunt, Jer. 2, 12. & ego vehementer obstupui.

Id verò certum arbitror, verum hereticum, non tam errore, quàm errandi pertinacia, censendum esse, & posse interdum lethales sententias, non pessimis ingeniis innasci, adeoq; cum heretica opinione, catholicum animum consistere, plane, ut agere iniquum quid, etiam minimè iniquus potest, hoc ipso Opusculo Theologico p. 40. scribitur ab Authore, nihil refert, quisunque baptiset etiam si ethnicus, modo faciat quoad substantiam baptismi, quod ecclesia facit, Christus baptizat, tam amplè ac liberaliter, hoc summe ad salutem necessarium sacramentum Salvator instituit; hanc doctrinam hæreticam in folio & magna charta esse opinionem, Textus ille unicus Joh. 1, 25. demonstrat erudito Christiano, cum dicitur, Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Profeta? immò Doctrinam hanc Opusculi, Concilium Tridentinum  
con-

condemnat, *Seff. 7. Can. II. ex Decretis Eugenii IV. ad Armenos, in concilio Florentino statuit, ad essentiam & efficaciam Sacramenti necessariam esse intentionem ministri saltem id quod facit Ecclesia.* Quæro hic Reverendisime D. Episcopo, quemvis Romano-Catholicum, ad suam *Conscientiam*, qua teste in ultimo die iudicii coram *Tribunali Christi Rom. 14, 10.* vult comparere, An si *Ethnicus* baptizat, efficaciam suam *Baptisma* assequitur. An *Ethnicus* potest habere *intentionem Sacerdotis Catholici*. An valet id intendere, quod *facit Ecclesia*, faciendi, *Maurus* aliquis? qui quid *Ecclesia Christi* sit ignorat, quid intendit minister & Episcopus ignorat, nempe, *Baptisma* est *Symbolum Comunions fidelium cum Christo*. Rom. 6. Gal. 3. Hoc *mysterium* ergo *Ethnicus* intelligit, quod tamen etiam ipsi plerique *Papani Sacrificuli*, (*Spiritus Sanctum in Testem* advoco) vix intelligunt. Omnino cum talia hujus *Opusculi Episcopalis* scripta serius mecum considero, cogor exclamare cum S. Paulo 2. Thef. 2. 10. 11. *Quoniam amorem veritatis non receperunt ad salutem, ideo imminisit Deus energiam internam efficaciam seductionis, ut credant mendacio, ut discernantur omnes qui non crediderunt veritati, sed acquiescunt in iniquitate, sed nunc e diverticulo in viam.* Verum tamen quid nos movet, quor pejus de nobis invicem suspicemur, quam de *Arrianis*, sanctus *Massiliensium* olim Presbyter, *Salvianus*. *Haereticus* sunt, dicebat ille, sed non scientes, denique apud nos sunt *Haereticus*, apud se non sunt, nam in tantum se catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo *haeretica pravitate* infamant, quid ergo illi nobis sunt & hoc nos illis: paulò post subjungens, errant ergò sed bono animo errant, non odio sed affectu Dei, honorare se Dominum atque amare credentes, quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei astimant charitatem, & qualiter pro hoc ipso falsa opinionis errore, in die iudicii puniendi sunt, nemo potest scire, nisi iudex; interim, idcirco eis ut reor patientiam Deus commendat, quia videt eos etsi non recte credere, affectu tamen pie opinionis errare. Quid est dico, cur alteri, alteris pejus audiamus. Cui errorum detestatio, duriorem de moribus nostris sententiam

tiam statuit, sit tamen ita, sit alterutra pars *Arianis*, longe deterior (sicuti pag. 20. *Dicax ille Opusculi Theologici* compiler, *Evangelicos Hungaros, Mahumetanis inferiores esse*, pergræcatur, neutra tamen, quantum percipio superat. *Manicheorum blasphemias*; *Manichæi* verò erant, quos *Vir doctrina & sanctitate ad miraculum maximus Augustinus* in hæc verba alloquitur: *illi sciant in vos, qui nesciunt, quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores illi in vos sciant, qui nesciunt quam rarum & arduum carnalia phantasmata quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possint intueri solem illum: illi in vos sciant: qui nesciunt, quibus gemitibus & suspiriis fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi Deus, Postremo, illi in vos sciant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident, Ego autem scire in vos omnino non possum, quos sicut me ipsum illo tempore ita nunc debeo sustinere, & tanta patientia vobiscum agere quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus & cæcus errarem.*

Magna scilicet vis est opinionis inolitæ, quæque ceu cum materno lacte immulsa est, si accedat imprimis sectæ Studium, morbus Galeno etiam iudice, quâvis scabie in sanabilior, quo qui tenentur, si eidem credimus, cæci atque surdi reddi consuevere. Originis axioma est. Facilius quis alia sibi consueva exuat, quantumvis illis affixus sit, quàm ea quæ dogmatum sunt. Quæ superbia itaque fuerit & fragilis nostræ mortalitatis dedignatio, tam atrociter animadvertere in ingenii culpam, & humanitatis oblivisci, in peccato humanæ imbecillitatis, cuius inhumana ambitionis reum esse, ipsum opusculi hujus. *Theologici, Patrimum*. pagina 23. 24. luculenter ostendit. Non ego pravæ pervicaciæ sum Patronus, nec Veniam peto formali Hæretico, quem arrogantia, aut nominis amor, sectam facit condere aut fovere, quique factionibus turbat publicam Ecclesiæ tranquillitatem (talis hæreseos immunes esse verò *Protestantes Hungarie, Deo, Angelis Sanctis, Christianisque Realibus,* cer-

certissimum, notissimum & probatissimum est) nihil enim tam asperum excogitari posse iudico, quò non talis, asperius mereatur, ut ne *sceleris* quidem *purum* omnino dixerim, qui illi aures præbens in *secta communionem* prolabitur, longè secius atque *Opusculum Theologicum* p. 20. de nobis pronuntiavit. Tantum ita in deceptos agioptaverim, ne non tam interitum eorum curare, quàm salutem videamur quæsvivisse, qualem interitum p. 84. opusculum intimat, tribus ait *de causis docet ratio hominem occidendum esse hæreticum*. Prima *ne mali bonis noceant*. Secunda *ut illorum supplicio multi corrigantur, profintque Reipublica moriendo qui prodesse vivendo nolebant*. Tertia est, *quia ipsi fontibus prodest occidi, eò quod semper fiunt, si vivant, deteriores, ex his ait rationibus defendit ecclesiam Bellarminus, quæ hæreticos, Potestati seculari tradit necandos*. (Sed quis tam crudelia fando *Myrmidorum Dolopumve genus & duri Miles Ulysi temperet a lachrymis, cautes te genuit, Te cautibus horrens, Caucasus Hyrcanæque admorint ubera Tigres*.) Et in hos ergò animadvertatur; sed sine sævitia, & hi increpentur, sed *Apostolica lenitate moneantur sed fraterne*, denique ita tractentur, ut & ipsi intelligant, nihil in se se nos habere odio, præter hæreticam sententiam, quàm nihilominus causa, nos maximè doleamus vicem eorum.

Sed quo labor Illustr. D. Comes? Ego verò nihil aliud volo, quàm periculis in quibus nostra *Patria Hungaria* versatur, præsentissimis, omnes omnino quotquot sumus seriò admoneri, ut animi divulsi & factionibus tam longè distracti omnibus modis reducantur ad concordiam & commune Patriæ Reip. studium, nihil verò esse, ne *religionis quidem controversias* queis laboramus, cur saltim a *curis concordia*, cogitationes nostras segregemus, quod enim hinc hostilia inter *Hungaros odia* exerçantur, non tam *pietatis lege* fieri, quàm inani quadam *superstitione*, & truci *Jesuitarum incendio*. Atque me quidem haud latet, quantum ab hac *mansuetudine* absint multorum Ro-

manensium mores, scio id etiam esse partium, ingenium, ut altera indigne ferat vel metuat alterius benignitatem, quem affectum *Nahaso-Hannonicum* 2. Sam. X. 3. Ammoniticum, verè genium illius antiqui *Nahas*. 1. Sam. XI. 1. Gen. 3. 1. *Clavian* redolentem, nimis luculenter, *opusculum*. Th. p. 80. expressit, dum scribit. *Quot sunt conversantes cum illis internos hæreticis, quos jam fortan, vel signum Crucis coram iis efformare apertè, vel genu ad orandum flectere pudet, qui eos pro hæreticis habere, vel planè pro ethicis, non modo ipsi nolunt; sed nec haberi a fidelioribus, sufferre possint, qui si audiant, eodem jure eos, quo fures & latrones esse, item & hos ex tirpandos, prope stomachantur, qui absque ullo discrimine illos juxta fere ac nostros reputant, quot sunt qui matrimomi, affinitate, cognatione cum illis conjuncti sunt amicissime, O! abominatio desolationis stans in loco sancto &c.* Quæ certo *Satyra Opusculi*, etiam *sacratissimi Imperatoris Regis nostri Clementissimi CAROLI VI. majestatem & Pietatem contra S. Petri Apostoli monitum*. 2 Pet. 2. 10. directè lædit, similes rugitus sunt *Leonis illius*. 1. Pet. 5. 8. quos p. 84. effudit. Num continuo eodem oculo, illi *Evangelici, atque fideles fratresque nostri contuendi? aut etiam honoribus ornandi. num Ecclesie Romana rebelles, ut cives, ut domestici nostri habendi? eadem que nobis est libertas fidei & eorum secta concedenda? ut non aprobatos se, verum tantummodò toleratos esse advertere non possint, ut nostra propria conversationis, cum iis testimonio jam sibi non hæretici, sed Christiani, Evangelici, Catholici veri esse videantur &c.* Dicam *Rev. D. Episcopo* ad talia scripta ubi vel *mica salis vite cælestis, Principiorumve Christi Domini doctrina*, inimicis benefaciendum esse, tam clarè. *Matth.* 5. inculcantis, quâ regulâ Evangelicâ, nihil dubito, nolentibus & invitis & repugnantibus quoque modestiam, lenitatem, caritatemquè tam placidè mandatam, quasi obtrudendam esse.

Certò hanc viam *Primitiva & incorrupta Ecclesia*, prudentiores ac meliores, quique *Patres*, contra segreges & errantes insistendam sibi censuere, quale enim hominum



num genus erant *Donatista*, Arrogans impium, hæreticum, in circumcellionibus suis etiam sævum ac crudele. Hi verò ipsi erant, quos cum *Fratrum* titulo fuisset dignatus, in hæc, *nectare* quovis dulciora verba prorupit, Vir sanctitate eximius *Optatus Milevitanus*, (cujus mentem mala fide pervertit *opusculum*. Th. p. 62). *Ne quis dicat me inconsiderate* eos *Fratres* appellare, qui tales sunt quamvis & illi negent, & omnibus notum sit, quod nos odio habeant, & nolint se dici fratres nostros, nos tamen recedere a timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus S. per *Esaiam* Prophetam dicens, vos qui timetis nomen Domini audite verbum *Jehovæ*, si qui nos odio habent & execrentur & nolunt se dici Fratres nostros, vos tamen dicite eis, Fratres nostri estis; ætati huic suppar, *Gregorius Nazianzenus* Antistes longe piissimus, *Dicimus* ait Fratres & illis, qui odio nos prosequuntur. Ante utrumque scripserat ita *B. Cyprianus*, optare se pariter ac consulere ac suadere, ut si fieri potest, Nemo de Fratribus pereat & consentientis populi corpus unum gremio suo mater gaudens includat, a fraternitatis vinculo, ne erroribus infectos quidem excludens.

Negatur etiam in spiritus S. Collegio, *Illustr. Comes*, injuriam, quam *opusculum* istud Th. crepat, a pace & tranquilla cohabitatione evangelicorum & Romanensium, Deo, vel vera Religioni inferri. Creator ipse sanctissimus, Solem suum, oriri facit super malis aquè ac bonis. Matth. 5, & 20. sine culpa, injuria; *Paterfamilias* ille in *Parabola* permittit, *zizania* crescere cum tritico, usque ad tempora messis, neque tamen ipse *Injuria* potuit a ministris accusari; frivola enim certò sunt, quæ ad hunc Textum, *Opusculum* Th. p. 74. more suo, id est, pergracando, attexuit: Ratio enim omnium hæc a Cæleste Patre familias adducitur, quod mundi hic status non ferat, ut bonis omnibus justa præmia, præ malis tribuantur; Sed cogat ille nos, in nonnullis malos cum bonis eodem habere loco, ideoque illi qui indignantur, ex parte æquari fidem veram ex hypotesi eorum, *Hæresi*, sequantur illud *Prudentissimi Heri*; *Sinite* pariter crescere utraque usque in messem. Expectemus omnes diem messis novissima, gaudeamus interim

terim & exultemus, quoniam *merces nostra copiosissima erit in Calis*; isthoc autem si fuerimus animo (possumus autem certo & debemus esse) non concutietur *Hungaria*, enatis de Religione dissidiis nostris, certo, non ita ut nunc dissipabitur, ut affectuum, purusq; mentis oculus clare perspiciat, caligantem nunc vitio nostro *veritatis solem*; utque omnes id amplectentes, quod verè est *catholicum*, hoc est, *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus est creditum, sopitis dissidiis, compacti sumus, eadem mente & eadem sententia.*

Veritatem cernere non potest oculus odii spisso *glaucomate* suffusus, ut ut illa clara sit, & *solem ipsum gestes manibus*. Optimus demùm Magister *lenis oratio* est; irrepit quippe in animum latenter sua dulcedine, intimas ejus fibras mox expurgatura. D. Hieronymi aurea vox est. *Qui modeste alloquitur, proximum, gratum accipit responsum, & quasi de uberibus, in quibus lac quarebat butyrum exprimit, sed qui inepto verbo rixam & discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens, sanguinem elicit*, Et vero ne defit exemplum, tali plane orationis flumine *Arrianos Apollinaristas, Macedonianos, Sabellianos*, atque id genus alia hæreticorum portenta, vicisse se se & *Ecclēsia Catholica* corpori rursus felicissime sociasse, ipsemet testis est, ille quem a sanctitate paulò antè commendavi *Nazianzenus* Quidni ergo audiat Illustr. D. Comes Rev. Ep. ipsum spondentem lenis istius sermonis victoriam illustrem. Ille cum varia sectarum monstra enumerasset, addidissetque, neminem adeo fuisse immobilem quin a se se flexus sit, subjungit statim aurea illa a Doctissimo Abbate *Jacobo Billio*, non minùs eleganter de græco versa.

*Hos pertrahēbat dogmatum ingens firmitas  
Flectēbat illos ratio docendi mea  
Nec enim per odium; perque contumeliam  
Studio at juvandi, verba promebam dolens  
Non vulnus insigens, nec ut quidam solent  
Animos in altum prosperum ob tempus ferens*

(Com-

(Commune sceptris quid nam est verbo & Dei)

Audaciaque inscitiam velans meam  
 Hoc quippe scitum est, sepius ac proprium  
 Nigrantem ab imo vomere succum pectore  
 Ut tela fugias hostis in tenebris Tui  
 Sed voce blanda commodaque utens decet  
 Christi ut patronum, mente qui placidissimus  
 Misericors agros, neminem & durus ferat  
 Ex quo fit illud, cedere ut laudem ferat  
 Rursumque multo pulchrius sit vincere  
 Svasu tonanti quispiam dum acquiritur.

Quid vero an nostro tempore id non succederet. Quid si & in nobis dulcis sermo, istum fructum pariat, ne videlicet amplius & in nobis Roboam & Jeroboam, Hierosolyma & Samaria, Sion & Babilon, Betlehem & Bethaven, Protestans & Papista; audiatur sed confracto pariete integerino, qui unius sanguinis uniusque simus gentis, etiam unius simus Christi coalescentibus vulneribus, quæ ejus corpori dissidia nostra inflexerunt, & reparata ejus tunica quam militaris furor olim scindere erubuit: Joh. 19. 24. nos autem innumeras in partes divisimus: apodictice, de hoc Athanasius. Christi tunica inutilis fuit, at vestis Ecclesie versicolor. Psal. 45. Unde præcipitur, in veste varietas sit, scissura ne sit. Faxit sane id celeriter ille qui & ipsemet. Caritas veritas, ac Pax nuncupari voluit, caritatemque mutuam, ac pacem suorum domesticorum Symbolum esse jussit. Joh. 13. Quod si verò tam fœlix Constellatio, hoc infesto, veritati & Unioni Christianorum seculo, non sit speranda, Orbis Christiano, aut nostræ Hungaria peccata non ferant adeo statum beatum; Utinam saltim fiat prius, ut si non amemus, nos pariter, prout par erat, saltem minus nos invicem odio habeamus. Certo & sic erimus satis fœlices, atque etsi non optimè & ex voto, tamen sic satis bene componi iterum, tot modis nunc divulsa Resp. poterit, nemo profecto non deinceps execrabitur civilium bellorum faces, etiam antequam arserint; neque verò eti-

am opus est, ut præter ea, quæ præcedenti seculo in hujusce modi malis sunt a clementissimis Regibus & Proceribus Patriæ nostræ adhibita, novum aliquod excogitemus, quæle *Somniator ille Dæmon in Somnio Catholico paratragædiatur*, & *opusculum*, Th. p. 5. ut impleatur in vobis ait *Evangelicis illud, sola vexatio dabit intellectum auditui*, detorqueus more *Jesuitico*, sancti Prophetæ verba. Esa. 28. 19. prout & illum *Pauli Textum*: 1. Cor. 5. 13. *auferre malum ex vobis ipsis*. p. 79. ita controquet, non mittit ait *Paulus ad Corinthios Titum, ut arguat illum, omni patientia & doctrina sed mandat absolute Christianis auferre illum*; Ego verò ita existimo, quod si absolute mandavit tollendum illum ex Ecclesia fecisse, ideò, quia ille *Corinthius* fuit *Jesuita*, qui tale scelus suum, peccatum tanti non esse contendeat, nuper enim *Divisione Jesuita Bougot*, theses promulgavit, quibus docet, *Peccatum tamen in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, non est offensa Dei, neque peccatum dissolvens amicitiam Dei, nec aterna pœna dignum*: spero autem nobis usu eventurum id quod arboribus, qui *cuneis* divelluntur scilicet, ut illæ excussis *cuneis* magno impetu, unoque momento ad se se redeunt, ita ad concordiam atque unitatem redituros nos Hungaros omnes, ubi rejecti fuerint, qui nos ad *libidinem* nunc distrahunt; neque consultum, piumque est Rev. D. animum suum ab hac nostra mutua in Hungaria concordia procuranda, isto præjudicio avertere, quasi non teneri vel August. Cæsarem ut Regem nostrum Clementissimum, reliquos que Proceres Patriæ, amplius in Hungaria Evangelicos ferre, eo quod vi, vel fraude politica aliqua, pacem olim Protestantibus statibus concessam extortamque, quod Th. *Opus*, p. 42. paratragædiatur. *Hæresis hæc Protestantium a nobis vel necessitate coactionis vel pusillanimitate, vel unde, unde tolerata p. t. quæ nobis extorta sunt repeti ac revocari &c. ex qua iniqua infernalique hypothesi, incitat Augustissimum Imperatorem, ad nos Patria nostra natali extripandos*. p. 82. etiam exemplo *Augusti Ferdinandi II.* draconicè, abusus,

& juxta articulum. I. statutorum S. Stephani Primi Regis Hungariæ, illis verbis, directè obnoxius: *Si quis igitur insanus importunitate, improbitateque sua Regem a recto proposito pervertere tentaverit nullisque remediis mitigari posse visus fuerit licet obsequiis aliquibus & transitoriis sit necessarius, abscindendus, projiciendusque ab eo,* (En Illustri Comes societatem eorum, qui in Hungaria a Regibus tollerari non debeant) juxta illud Evangelium, *si pes, manus, aut oculus scandalizat te erue eum & projice abs te,* addatur artic. 53. de Calumniatoribus Aulæ, *si quis versutus alicui persone fideli (talís Deo teste, totus status Evangelicorum in Hungaria) dixerit, audiri Regem ad perditionem Tui loqui, & hic inventus fuerit, pereat.* Noverat enim pius Rex S. Stephanus, liberam Romanam Rempublicam Calumniandi licentia quantum affligerit, ubi in Personas & existimationes civium, sub prætextu criminum sævitum est, quò respectu, *Cato ipse, quo sanctior Roma nemo fuit, quater & quadragesies causam dixit.* Plinio notante, & queis ignotum. *Publ. & Luc. Cornelios Scipiones, Ciceronem, Milonem Calumniis delatorum oppressos, quibus tamen tantum debebat Rom. Imperium.* Immo gliscente accusatorum malitia, Romam in tantas turbas incidisse ut C. Plinio II. judice, *fundata legibus civitas, plene eversa legibus videretur.* Tantam accusandi innocentes libidinem ut reprimerent, *legislatores, imprimis justitia & clementia laude celebres. Trajanus. Plin. in Paneg. Commodus Imperator. Cic. pro Roscio. Or. c. 20. serio invigilarunt.*

Injuria certo & Calumnia summa Cæsareæ S. Majestati infertur cum Ipsum, majoresque ejus gloriosissimos, vi ad pacem Evangelicis in Hungaria concessam adactos *Opusculum illud Theologicum pergræcatur, ideoque eos ad Evangelicos Cap. 9. Opusculi Th. face odii injecta persequendos tollendos, ut Pyratas, latrones extimulat, aut Reverendissime Dne. quæro, quò jure teneri, Romanenses Principes, ad extirpandos Evangelicos ex suis terris, an naturali, an divino, aut humano, non certò primo, quia illud jus nihil novit de heresi, non divino, quia il-*

Io, nulla est posita *pœna hereticis*, ceu docet cum aliis multis *Victoria*, *Relectione*. V. de indif. ad quam se refert. *Relect. de Jure belli* qu. 3. prop. 1. non humano denique, Etsi enim *sedes Romana* interdum hoc mandaverit, tamen eorum mandatorum observantia irrefragabilis, *nunquam Lege recepta fuit*, *Papalesque illæ Bullæ*, cujus opus. Th. p. 3. meminit ab omnibus *Romanensibus* non sunt, in suis *Regnis* admiffæ; sed & confirmatum est, a temporibus *Sigismundi Imperatoris* omnès *Bohemiæ Reges* pacem perpetuam *Husfitis* concessisse, similiter *Casar Ferdin. I.* Protestantibus, tùm in *Transactione Passaviensi*, cum præcipuè in *Comitiis Augustanis 1555.* sine coactione concessit: sequentes *Imperatores*, eadem *pacta pacis*: omnes confirmasse, itidem vulgo quoque notissimum est; confirmatur prætereà hanc *legitimè a Casaribus factam*, cum *Protestantibus pacem*, *Jurisconsultorum & Theologorum Romanensium* plurimorum auctoritate.

Non enim dixerit Ill. Comes, Imperatores, Reges & Principes *Pacem Religionis* iniisse sine consensu *Jurisconsultorum & Theologorum* suorum, adeoque optimorum; saltem hos igitur, *Legitimi Consensus Regum*, *Paci nostræ*, habemus consentientes, cum tamen, illis neque animus defuerit veritatem proferendi, neque judicium illam dignoscendi, omnes certò illos vel *inscitia* accusare, vel *impietatis* (ut opusculum Th. p. 79. 80. calumniatur) nonnisi impudentia est. R. P. Canisium cum aliis e societate. I. *Pacis cum Evangelicis*, *Augustanæ Confirmationem* probasse, & *Legato Apostolico* ne resisteret, obstitisse, in ipsius vita a bonis *Authoribus* refertur; neque *Aug. Casar*, & *Status Hungariae*, tenentur contradictionem & disensum aliquorum nasutorum attendere; *Summa enim Potestati* omni, competere *Jus agendi* de iis, quæ ad salutem pacemq; Reip. pertinent, non attenda quorundam subditorum *contradictione*, atque etiam hoc beneplacitum *Majestatum Imperii Sacri Rom.* intimant, ex *sententiæ*, quas *Aug. Casar. Rex Galliarum & Ordines Imperii* omnes quamvis *Romanenses*,  
Arti-

Articulis Instrumenti Osnabrugensis & Instrumento Monasterii cum primis notatu digna ad omnem posteritatem curaverunt inferi. Contra hanc transactionem, ullumve ejus articulum aut clausulam, nulla Jura Canonica vel Civilia, Communia vel Specialia Conciliorum decreta, privilegia, indulta, edicta. NB. Commissiones, inhibitiones, mandata, decreta, rescripta, litispententia, quocunque tempore lata sententia, res judicata, Capitulationes Casarea & alia Religiosorum Ordinum Regulae aut exemptiones sive prateriti, sive futuri temporis protestationes, contradictiones, juramenta renunciationes, pacta seu dedita, seu alia, multò minùs edictum anni 1629. vel transactio Pragensis, cum suis appendicibus, aut concordata cum Pontificibus, aut interimistica, an. 1548. ullave alia statuta, sive Politica sive Ecclesiastica decreta, dispensationes, absolutiones, vel ulla alia, quocunque nomine aut pretextu excogitari potuerint, exceptiones unquam allegentur, audiantur aut admittantur, nec usquam contra hanc Transactionem, in petitorio aut possessorio, seu alii processus vel Commissiones unquam decernantur, addita his tam Christianis conclusionibus, tum, hæc armilla aurea, pro majori, horum omnium & singulorum pactorum firmitudine & securitate, sit hæc pragmatica Imperii sanctio Transactio Lex perpetua, obligans non minus absentes, quàm presentes Ecclesiasticos equè ac Politicos, sive status Imperii sint sive non, eaque tam Casaris Procerumque Consiliaris & Officialibus, quàm Tribunalium omnium Judicibus & Assessoribus, tanquam regula quam perpetuò sequantur præscripta: quò colineatur etiam articulis Regni Hungariæ, Anni 1681. & 1687. 25. 27.

Posterius nititur item illa communi sententia, quod Summus Principatus, teneatur id agere, quod exigit salus publica: Interesse verò salutis Hungariæ, ut Evangelicis pax maneat perpetua, Christianus Orbis, Judex esto.

Præterea, nemo tenetur, propter stultam aliquorum disfidenciam suum Regnum perdere, vel in summum discrimen vocare, fieret autem hoc, si propter Cleri pertinaciam Rex turbaret pacem semel datam Evangelicis: immò Papa tenetur talem approbare pacem Christianam, quoniam Papa tenetur quod in se se rectum, pium, justum est, approbare,

probare, quale certo est, Evangelicos in sua *nativa Terra* pacifice vivere, sed etiamsi dissentiret ab hac Pace nostra, *Papa*, non tenetur tamen sua *Cæsarea Majestas* hoc puncto, illi obedire, quod Apostolorum est axioma ad Regem Hungariæ Apostolicum. Act. 5. *Deo magis obediendum, quam homini*, Injuria ergo quanta maxima omnino est, in *Gloriosissimos Reges Hungariæ* quorum nemo vel pietatem vel prudentiam desideraverit, in *Pace negotio Religionis*, unde, unde, *consensisse* dicere, & scribere; neque sine *Injuria fidei Sacramenti Regum* nostrorum, potest scribi ab aliquo heri nato homuncione *Tenebrione*, pacem ejusmodi *datam Evangelicis*, *hæresi directè* vel *indirectè cooperari*; nisi fortean etiam, *directè* vel *indirectè cooperari*, judices eum, qui, quemvis peccatorem non occidit, atque ita cum insigni *blasphemia Deum*, quoque *peccati Auctorem statuere*, qui tantum abest; ut velit *mortem peccatoris*, ut quotidie bene faciat probis & improbis, fontibus infontibusque gratias agentibus & ingratis. Matth. 5. Adeoque pacem hanc nostram impie dicitur, *inferre injuriam Creatori* vel *causam esse perditionis animarum*, perinde blasphemæ statui, & *periculum hoc a malo*, genio, ut *opusculum* loquitur p. 82. *adductum est*.

Verum est, si *hæresis* robur & stabilimentum suum omne haberet a *pace*, verum quoque esset, quod *causa ejus perditionis sit pax*. Quod enim *causa est causa, est etiam causa causati*, at verò *hæresis*, sublata *pace* magis solito sævit, & innumeris malis Corpora & animas Catholicorum affligit, quod testari possunt ætatis Superioris annales, nunquam certè dum *pace excepti sunt Evangelici Hungariæ*, alicui Pontificio vis, vel damnum aliquod a Protestantibus illatum; ast viceversa, turbati, si tanquam *Leones suis catulis orbat* stragem vicinorum fecerunt, quis miretur. 2. Sam. 17, 8. itaque pax potius servat, quod superest, *fidei Catholica*. Quæ ergo mala ab *hæresi* provenirent æque sinè *pace*, imò magis & copiosius provenirent. *Protopseudos Romanensium* est nempe, quod mala quæ ab *Evangelicis* evenere, *paci eorum imputantur*, ut *opuscul. Th. p. 47. papissat, patris-*



patrissat, vide, cum tamen constat altè jam ante *pacis religiose* tempora, Hungariam frequentissimè fuisse collisam, & verò an ignota est Rev. Ep. antiquissima Hungarorum invicem *collisio*, illa, quæ occasionem dedit, signo Gentilitio Hungariæ *Crucis duplicis*, quam R. P. *Jesuita Inchofer*, in suis *annalibus Hungariæ* reducit, ad bellum Civile Hungarorum, quo bis Christiani facti esse demum dicti sunt, ideoque *signo Crucis duplicis Hieroglyphico* notati sunt, quamvis ego *Hungaros*, bis factos esse Christianos, longè diverso sensu quam *Inchofer* putat dictum esse, si vitam Deus benignissime prorogarit, publico dicto demonstrare contendam.

Porro *Illustr. Comes*, non sine crimine *lase Majestatis* statuitur in *Opusculo*, Pacem illam Evangelicis a Sacratissimis Regibus concessam esse *usurpationem potestatis non competentis*, extra controversiam enim collocatur ab *Orthodoxis Politicis*, Penes Reges esse potestatem constituendi omnia illa in Rep. sine quibus *Civilis societas* nequit consistere, eamque ipsis datam a Deo; aut sine *Pacis Evangelicis* datæ *conservatione*, nulla ratione *Societas*, *Hungaricorum Populorum* consistit. Et in quantum subditos Evangelicos, debet Magistratus quivis ab Injuria temporali defendere, certo cura hæc temporalis, imprimis facit ad *societatem civilem*, eaque procuranda unice convenit *Civili Principi*; agnoscere denique debet & *Ecclesia Romana*, *Cesaream Regiamque Majestatem* esse ut *Judices* & *Principes* sibi a Deo datos & constitutos. Rom. 13. neque sanus Christianus civis dubitat, etiam in *mere Ecclesiasticis*, habere Reges potestatem dispensandi circa ea, qua *Legibus positivis Ecclesiasticis* sunt constituta, non impetrato consensu *Papæ*, rationem sui actus Rex Deo redditurus, ut loquitur, *Cyprianus*, præsertim, si id exigat præsens Reip. necessitas, quæ omnem *Legem humanam ac positivam* transcendit. Hinc satis evidens est, *Opusculi Th. Cap. 9. toto*. *Conscarnatorum*, *frontem suam Romanam* planè perfricuisse, cum *S. S. Patrum Pontificum & Regum* suffragio destitui sententiam,

D  
qua

quà Pax hæreticis & Evangelicis data conservanda statuitur, asserit, quasi antiqui illi Heroes, *Draconis* illius *mulierem Sponsam Christi*. Apo. 12. deglutire tendentis, *Discipuli* fuissent, non vero *Agni Christi* mitissimi, Matth. XI. notum enim est, ex historiis, ab imperatoribus Romanis Christianis partem *Africa Vandalis*, & *Italiam* cum ipsa *Urbe Roma, Ostrogottis*, facta pace concessisse, ut ut illi essent *Ariani*, & hæresim illam non tantum disseminarent passim, sed & *catholicam Ecclesiam* pessimè infestarent; in *Africa* etiam *Templa* & bona sacra Catholicis irent eripitum: nemo tamen *Episcoporum*, illius *avi* illicitam Pacem illam ac impiam dixit, vel scripsit, in *annalibus* illius sæculi, non *ovum* autem *ovo* similis est ex nostra parte, quam nostra hæc pax *Evangelicorum Hungaria* articulari *Dieta* data; haud dubie itaque si reviviscerent, illius *atatis Ecclesiæ lumina*, hodiernos, *Pacis Evangelicis* data impugnatore, calculo suo crucifigerent; non sane illis Patribus persuasum erat, *summum bonum catholicæ Ecclesiæ* in *latifundiis Comitatum Provincialium ac Principatibus* consistere.

Inspicientibus præterea priorum *Trium Seculorum* scripta Ecclesiastica, non potest negari, ita tunc a Patribus disputatum esse, adversum Paganos, pro Christianæ fidei libertate, quasi *religio simpliciter, cujusvis sit libera voluntati permittenda*, nequè quisquam *pœna* aliquid mereatur *Civilis*; si in Religione errarit. Quid clarius *Testimonio Tertulliani ad scapulam, Humani Juris & naturalis potestatis est, unumquemque quod putaverit colere, nec alii prodest aut obest alterius Religio; sed nec Religionis est cogere Religionem, qua spontè suscipi debet non vi.* Aut his *Lactantii, Nihil est tam voluntarium quam Religio.* Hi Patres omnino non docuerunt, *Hæreticos in vita Civili haberi debere infames*, non permittendam iis Libertatem sua docendi, a vi, non esse defendendos; jam porro *quarti sæculi* magna parte, nemo *Patrum* legitur *Constantinam Magnum*, aut ejus *Filios, successoresque* cohortatus, *infamia hæreticos notare, multo minus illos extirpare, immo,*

immo, cum *Constantinus* ab *Arrianis* esset seductus, Catholicos multis modis vexare, *S. Anathasius* etiam eo nomine conquestus est de *Arrianis*, quod Religionis Causa homines multarent, videatur ejus *epistola ad Solitarios*: Dignissima quoque lectu sunt, quæ *S. Hilarius* prolixè in eundem sensum disserit, Libro adversus *Auxentium* & Libro ad *Const. Magnum*. Eadem mente fuisse *S. Martinum* & *Sulpitium Severum* clarissimum est, ex hujus *Historia sacra*. L. 2. Sub finem & *Dialogis*: ipsum *Augustinum* aliquando ejusdem fuisse opinionis, eamque post mutasse sublesta fide recitat *Opusculum* Th. p. 63--68. si utilitas Ecclesiæ invitet, posse hereticis etiam adem sacram Catholicorum concedi ipse *S. Athanasius*, suo utique exemplo nos docet apud *Zosomenum*. Lib. 13. Cap. 19. *Socratem*. L. 2. c. 23. *Theodoretum*. L. V. Nullius Papæ ex quatuor purioribus seculis, vel verbum vel factum potest adduci, quo probetur illos docuisse, vel Imperatoribus suasisse, ut Hæreticos fama, dignitatibus, bonis, vita, exuerent. Enimvero, ne aliquibus vulpina pelle imponat *Opusculum*. Th. p. 82. iis rimis, quæ de *Ferdinando II.* commentus est, placet nunc Rev. Episcopo & cogit indignitas narrationum *Opusculi*, hoc loco repone memorabile de *Ferdinando I.* (a cujus conscientia vestigiis vel ungvem recessisse *Ferdinandum II.* præsummere, religio est) Testimonium hominis sectarii quidem magnæ tamen in *Aula* & *Ferdinandi* & *Maximiliani* & *Rudolphi II.* Imperatorum existimationis, non ob medicæ duntaxat artis insignem peritiam, sed prudentiam quoque & fidem, *Joannis* nempe *Cratonis* idque, quoniam publice & quasi coram ipso *Rudolpho Imperatore* est prolatum, illa *Epistola*, qua *Jani Dubravii Episcopi Olmucensis* *Historiam Bohemicam* suâ curâ editam *Cæsari Rudolpho* dedicavit; illud ait reticere non debeo, quod *Divus Ferdinandus Imperator* crebris sermonibus ante obitum usurpavit. Inter summa beneficia, quæ *Deus* in Imperii Gubernio concessisset, primum atque maximum vero animi judicio atque conscientia se dicere, quod ad sedandas dis-

*cordias publicas animum adjecisset, & Tolerantia in Religione Formulam Benignissimum Deus sibi in mentem dedisset. Est in vivis Joannes Nævius, qui a Serenissimo Archiduce Ferdinando, nobis in Valetudinis Cæsareæ Curatione additus erat, eo præsentè mihi legendam dedit, atque ut apertis verbis legerem jussit. Epistolam bene longam sua manu ad Electorem Mauritium multis verbis & accuratissime de pace publica Conscientiarum libertate & Reip. salute scriptam, hanc si Censores quidam viderent, haud dubiè animadverterent, quàm insigni quidem non modo Italus quidem & Gallus, verum etiam nostri Homines de religione Unà clamitantes, Divum Ferdinandum Imperatorem sacratissimæ memoriæ, injuria afficiant.*

Certo August. Cæsari Rudolpho, non aliud fuisse propositum, quam Pientissimi Fratris & Parentis promissâ præstare, conscientiarumque libertatem stabilire, declaravit satis postea, cum anno 1609. Ordinibus Regni Bohemiæ, sub utraque, Consistorium inferius, Academiamque Ordinum arbitrio reformanda tradidit, additis Majestatis literis, quibus & donationes confirmavit, & Tempa Scholasque Evangelicis vel possideri, quas possident, vel exstrui, ubi opus, permisit, & affligi quenquam Religionis nomine vetuit, & futuros Reges successores suos ad hæc sanctè observanda obstrinxit, & denique Ordinibus, Defensores Libertatis hujus Custodes e medio sui eligendi facultatem restituit. Quibus & Pragæ sacellum Berlehem dictum, concessit, unde & Templorum valvis affixa fuisse. *Tempa patent. Leo lætus ovat firmante Rudolpho; Quin potius refert Historicus integer fidei verba Beatissimi. C. Rudolphi facturum se memorabile quiddam ait Imperator. Fundaturum, dum adhuc vivat Ordinem Pacis, pro Conscientiarum libertate, ut quiquid Christum invocat, immune sit a vexatione diversæ partis, invitaturumque se ad ordinis hujus societatem Reges & Principes Evangelicos, & si qui volent ex Catholicis, Quorum haberet consignatum jam a se beatus Cæsar Catholicum, ostendit circiter quinquaginta, Baronibus duobus quos hic sibi fore fideles Legatos sperabat, alterum ex Austria Dom. Baronem*

ronem de Kanb, alterum ex Moravia B. Dominum Schmid, prælegens simul formulam fœderis, & societatis illius *Ordinis pacis*, a se ipso conceptam, & depromens torquem auream binam, ac illorum cuique donans, cum *insignibus Pacis*, manu sua confectam, qualium & plures se confecturum dixit pro *Sodalium, Pacis Ordinis* numero. Euge Sacratissime Imperator, Beatissime Rudolphe ! nunc gustas veritatem Programmatis istius Evangelici, *Beati pacifici, quia ipsi Filii Dei vocabuntur*, nunc intermixtus beatissimis illis Spiritibus, Superstantibus *Mari illi vitreo. Apoc. 15, 2-3. Concinnis in Citharis Dei Canticum Moysis & Agni, Celeusma Triumphale Ecclesiæ*, immo ut infinita alia exempla taceam. Orbi toti notum est perpetuam Pacem similem cum *Fœderatis Belgico-Germanis septem Provinciis pactus est Rex Catholicus Hispaniarum*:

Perfidia denique vel barbaris detestandæ projectum est, existimari ab *Opusculi Th. fictore*, non teneri presentes *Romanenses pacis religiose articulariter Evangelicis Hungaria concessa pacto, solutis pridem vinculis omnibus ab ipsomet Dei in Terris vicario Papa, nec levitatis notam impingi sibi posse, ut qui articulos illos, unde & unde confectos non fecerint, nec periculi amplius imminere, a motibus, post vires Romanensium redintegratas (ut p.2. Opusc. Th. altercatur) itaque impune & nulla sceleris impacta a conventis majorum, ac articulis Regni recedi nunc posse. Enim vero (i) id multo jam rerum usu est compertum, infœlici eventu, omnes motus paschim terrarum finiiisse, qui contra, Sancta Majorum pacta, per solas Cleri Romani declarationes fuere incensi; non sanè ullum temere fœlix exemplum adduxerit. Opusculum Th. p. 68. 69. 82. Ex adverso, certum est, Deum severe vindicasse, Cleri Romani instinctu rupta etiam cum Turcis pacta, testis est, memorabilis illa, in omne ævum Hungarica ad Varnam clades, de qua Vladislai Regis Epigramma*

*Me nisi Pontifices jusfissent rumpere fœdus  
Non ferrent Scythicum Pannonis ora jugum.*

D 3

ita

ita sanctissima *Divina Nemesis*, in rupta *pacis* etiam nostræ *Evangelicorum* pacta animadversurum, par est existimare Illustrissimo Comiti. (II.) Per est verisimile, mansuram in multam atatem *memoriam* semel iterumque in Hungaria nostra; alibi frequentius, infelicitè cum *Protestantibus Religionis* pretextu susceptarum persecutionum, proscriptionum, quamvis eorum *initia* tamen perquam blanda fuissent, atque adeo non temere, *Romanensium partium* saltem prudentiores quique, in discrimen se, suaque coniecere denudò & quidem sola, *Cleri instigatione* isthac inducti: Taceo nunc quod usu jam compertum habeant prudentiores, quam in promptu sint *Evangelicis* auxilia aliena (Esth. 4, 14.) etiam cum vires domesticæ, nonnihil deficiunt. (III.) denique non potest unquam utile, esse *rebus Romane Ecclesie & partium Catholicorum*, id quod adversæ *Evangelicorum* parti, nunquam non (ut dicam:) *vellicat aurem*, & sibi a *Romana Ecclesia*, ejusque *Zelotis* jubet cavere, hoc facit autem in hoc *Opusculo* Th. *Clerus Romanus* Ungariæ: quem enim *Evangelicorum* paulò prudentiorem permittat ille conatus *Opusculi* Th. secure dormire, & non potius excitet, tanquam ad agendas excubias, adversus insidiantem hostem etiam in altissima pace; continuò detonat in aures eorum. *Hylas evigila, Lunatus Hylactor ad oras, Hannibal ad Portas.* Quid quod, fortean & *Protestantes Principes*, cum nunc valdè crescant eorum vires, possint induci, armis *Romanenses* imbecilliores opprimere, si nempe, talibus *Cleri Romani instigationibus, pacis Religionis* robur, fractum esse existimantes, sibi quoque integrum censeant, prævertere malum a *Romanensibus* imminens, *tragedia* hac *Hungarorum Evangelicorum*, excitati, adeoque metu periculi saltim futuri se se, in tempore, dum adhuc prævalent, exsolvere. Prohibeat quidem Deus ejusmodi impia *Problemata*, spero etiam prohibiturum *Deum Pacis*, ne unquam tale quid cuiquam in mentem veniat. Tàm perversis tamen suspitionibus, & novis turbulentis molitionibus, talibus qua-

quale hoc opusculum est, *Cleri Romani*, esse ansam præbitam, Cuius zelotæ *Evangelico*, manifestum est. *Nam quis iniqua, tam patiens sortis, tam feruus, ut teneat se, ut Protestationes illas Cleri R. Contra pacem Evangelicis datam, non abominandas detestationes censeat.*

Iustum porro esse iudico *Illustr. Comes* in seriam vestræ dignitatis considerationem venire, Declarationem illam iniquissimam, quæ *Opusculum Th.* præterdit, *Pacem Evangelicis Religiosam pactam esse a non habentibus Potestatem, talem pacem hereticis concedendi*, id sane ad Injuriam pertinet Augustissimorum Cæsarum, Regum nostrorum clementissimorum: eaque phantasia, *articulos totius Regni quantum in se est irritos reddere.* Omnis enim *summa Potestas*, jurisque sui *Respublica*, omnia illa constituendi habet potestatem, sine quibus *Civilis felicitas* nequit obtineri, jam autem impossibile est, ut *Civilis* aliqua *Societas* sibi constet, aut *felicitas* ejus obtineatur, nisi prædita sit arbitrio in usum suum instituendi, ea, de quibus *articulis Regni, Pacis Evangelicæ Legibus conventum illis ætatibus erat.* Periniquum omninò facinus committit *Opusculum Th.* dum quod, *unicum est Pacis Hungaria remedium*, id rumpere & civile vicissim bellum, post nuperas *ferales* ejus *flammas*, adhuc quasi *sumigans* denuò pro virili accendere allaborat. Profectò neminem nisi improbum non misereat *Hungariæ nostræ*, inter cineres suos non nihil nunc respirantis; atque adeò nemo probus, non velit pœnitens illam *flammam extinctam* quam *humanus cruor* tot annis aluit; quanto magis autem, tali animo oportet eum qui se *Episcopum & Pastorem* animarum venditat; utique impium est, invitos iterum *Evangelicos*, ad arma cogere, idque solum eò fine ut *fastui Cleri Romani* subveniatur. Cum verò *Opusculi Th.* faber, audeat scribere, quod *nulla necessitate Ejusmodi pacis Religiosæ articulos, excusationem invenire*, injustissimum sane dogma asseruit; *Necessitati* enim etiam hæctenus cedere licere,

liqui-

liquidissime docuit. *Libro suo de Pace Prodro*mo Caramuel. Vir & ipse ut genere, ita multiplici doctrina, candore & dignitate, & in Religione Romanensi, eminens; adeoque, hoc in negotio, id nostrum facere rite possumus, quod contra *Urbanum Papam*, olim Rex Hispaniæ *Philippus*, jam tum. Anno 32. die 8. Martii, per *Cardinalem Borgiam*, quasi solenni ritu protestatus est, teste *Henrico Spondano Apamiarum Episcopo*. *Quiquid detrimenti Religio Catholica pateretur aut passura esset, non ipsi Philippo; sed Pontifici Romano adscribendum esse.* Ita Sancte, nos Evangelici Hungariæ, hodie protestari possumus, quiquid in *Hungaria* detrimenti Religio Papanæ pateretur, vel dehinc passura sit, id non ipsis sacratissimis Regibus, *Ferdinandis, Leopoldo, Josepho, Carolo, sed Clero Romano Hungariæ adscribendum esse.*

Quod ad usum *juris Terrestrium Dominorum*, ad quod tanquam *Palladium Trojanum*, tam indiscretè solet confugere *Clerus Hungaricus*, deberent talium interpretationum *Coriphei*, lumen sana rationis, in tam arduo etiam consulerè, quod, *Cuius liceve docet, summâ exigente necessitate, rem alienam, præsertim, si illa minoris sit momenti, quàm est illa cujus extrema necessitas urget in tuos usus convertere, & sane hoc etiam sentiunt præclari etiam Theologi ipsiusmet Pontificiæ partis, quorum illa unanimis est sententia, in gravissima necessitate reviscere jus pristinum. Urendi rebus, tanquam si illæ communes mansissent, nullâ proprietate singulorum Constituta; huc utique pertinent quæ disputantur a Thoma 2. 2. g. 66. art. 7. Cajetano aliisque Thomæ Commentatoribus ad S. Cit. Adriano. Quodlib. I. art. 2. Dominico Scto de Justitia & Jure L. 5. Quæst. 3. art. 4. Lestio, de Jure L. 2. Cap. 12. dub. 12. nec excipi ab hac regnla Universali Jura Ecclesiastica & bona, sed etiam illa necessitatis tempore omnibus esse communia, seorsim præclare ostendit Castrensis. Consilio 45. in facto præsentis: nunc vero eam esse necessitatem in Hungaria, nisi qui cæcus sit, omnis videt, quod nempe talia Jura Dominorum terrestrium, cum libertate Religionis*  
Evan-



evangelicis articulariter, permiffa, alternari debuerint, talem certo glossam, qualem *Opusculum* Th. prærendit in Præloquio, non docet, nec nativa intellectus sane vis, vel *Divina revelatio*, vel *priscæ Ecclesiæ consuetudo*; & sane in universonihil est verius illis *S. Augustini*, quæ proinde vi veritatis ab ipsomet *Gratiano* Dist. 8. in *Decretum Juris Pontificii* sunt translata. Unde quisque possidet, quod possidet! nonne *Jure humano*, nam *Jure Divino Domini est Terra & plenitudo ejus, Pauperes & divites, de uno limo fecit Deus, & una Terra supportat, jure tamen dicis, hac villa mea est, hac domus mea, hic servus meus, jure ergo humano, jure Imperatorum, quare quia ipsa Jura humana per Reges seculi Deus distribuit, Generi humano, dicis, quid mihi & Regi? secundum jus ipsius possides terrena, tolle Jura Imperantium, & quis audeat dicere, mea est hac villa hac domus, hic servus, igitur quæ nam jura competant Terrestris Dominis, nec ne, profecto illis legibus & Institutis quæ & reliquis mortalibus sunt communia definiendum, a Regibus itaque *Hungaria* clementissimis, cum in Univerfo Regno *Libertatem Religionis* Protestantibus decretum fuit, dare, totum illud *jus religiosæ pacis, in rivum gratiæ Regiæ Majestatis* debet fluere.*

Certe e portentis opinionum & quæ Regnis eventendis natæ sunt, illæ Cleri Romani sententiæ, omnia Ecclesiasticorum bona jure divino exempta esse *Rerumpublicarum jurisdictioni*; apposite ad hanc rem *Caramuel. Pacis Licita*, num. 8. scribit, *Ecclesiastici in bonis suis tantum jus habent, quantum indulserunt Principes, ac teste D. Paulo, nec illi, nec isti habent auctoritatem ad destructionem: sed ad adificationem, Ergo nullam voluerunt, imo nec potuerunt donationem validam facere, quæ Regni destructionem inferret. Talis est autem prætextus Juris terrestris Domini, qui totus ad destructionem Hungariæ effectus est; nihil etiam absurdius unquam cudi poterit; quàm bona fieri quævis Ecclesiastica, simul ac in Cleri R. possessionem devenerint, quasi nimirum, ut est in *Mida fabula, contactu gleba potenti* -- -- illico fiat *massa sacra*, quasi*

E in-

Inquam, *Templa Evangelicorum, a Clero R. erepta, & catholico ut ajunt ritu consecrata, facta esse Juris Ecclesia Romana; ut sanctissime heic loci, sua facere possunt Protestantes Hungariae illam legationem Iesie, ad Regem Filiorum Ammonitarum. Jud. XI. 12. 13. Quid Tibi mecum, ut occurras & persequaris me, ex Hungaria, & respondit Ammonitarum Rex Legatis Iesie. Quia occupavit Israel Terram meam, dum egrederetur Aegypto. nunc ergo redde. ad quam exostulationem iniquam filiorum Ammon, videre potest Illustriss. Comes exquisitimum responsum Israelis. v. 15 - 27. collatis Precibus Josaphati. 2. Chron. 20, 11. 12.*

*Qua fronte porro dixerit, illa esse bona spiritualia, & sacra: cum in spirituales & sacros usus nusquam impendantur; sed in Canes venaticos, milites Pratorianos, & Diabolus novit, in quos. Carolus V. fane non dubitavit exprobrare Clementi VII. Papa, illa pecunia, quam vocabant sacrâ, ali exercitus ad Casarem impugnandum. Quod si inquit, justa aliqua ratione, vel Causa Apostolica sedes his lucris careret, non essent claves aureæ Petri, que bellorum Archivia pro libitu aperire & claudere solent, nec vestra sanctitas ex Regnorum nostrorum pecuniis atque redditibus, exercitum in nos concitaret, nec temporalia arma moveret, quibus potius justum videretur ad nostram defensionem uti. his rite consideratis Illustr. Comes, quantus, quamve lunaticus sit Paralogismus, quò Opusculum Theol. p. 85. abutitur, Vos ait Evangelicos, Doctrina nostra subjicere, omni jure obligati estis. p. 42. accedit ad extremum, quod vos hereticos vi etiam externa jure omni repetere ac retrahere possit Ecclesia. merito sanè roget quis hæc legens, Cujus Juris illud sit, quo Protestantes obligari subjicere fedi Doctrinæ Romanæ, An æterni? naturæ? an positivi, naturæ jus ignorat Papanam sedem, ejusque doctrinam, eoque nihil de obligatione ista constituit. Et Lex Divina Rerum publicarum fundamenta convellere noluit, sed stabilivlt, Casari quæ Casaris sunt reddi, jubens: Convelleret autem, si libertatem religionis Christiana, a Papa Romani, idest hominis extra Rempublicam positi, & extranei Principis auctoritate & arbitrio suspensisset: Unicuique sanè perfecta Reipubli-*

ea, in omnia sua competere *summam potestatem*, hujusq; nihil externo deberi, inter *prima est principia Cujuslibet Regni*, illa tollere & mutare est *Regna evertere*, quod a *Lege divina* procul est, Tota sane *Ecclesia* jam a multis *seculis* cecinit. *Non eripit mortalia qui regna dat caelestia.* An *lege humana* Ergo ita cautum est; constitui igitur ita debuit a *summis Potestatibus Terrarum*, utpote, quum penes hasce solas, *de rebus suis constituendi arbitrium sit.* Id vero nulla fecit; utque fecisset per *imprudentiam*, posset hanc *Constitutionem* qualibet *summa Potestas* revocare. Seque ipsam in integrum restituere; experta jam scilicet, *summum imprudentis suæ conniventia* damnum. Cæterum nulla *Rerum publicarum Europe* tale quid *piam* constituit; *Hungaria* certo nunquam hætenus adeo *solemniter* insanivit; neque licet *nasuto* alicui e *Clero Romano*, *Jus & Legem* Condere in *præjudicium* & *damnum* alicujus *Reipublicæ*, nedum *Regni Apostolici*: manifestum proinde est, *iniquissimum facinus* esse, talis, in *cerebro* alicujus *Jesuita* nati, *Juris obtentu*, *pacis Religionis*, *summa necessitate & utilitate* *Hungaria*, *expressos articulos irritos* pergræcari. Non me quidem latet *Illustr. Comes*, eam esse *præjudiciorum* & *animi affectum* in quàm multis vim, ut & si *solem porres* manibus nihil videant tamen, nec ego *persuadendis* illis hanc *meam epistolam* satis esse existimo, spero tamen non defore, vel in *Aula Illustr. Comitum* *resfluente Clero*, quos saltem *Comitas Rever. Ep.* invitaverit ad *ejus Lectionem*, quique proinde hac *ratione* *invisam* hætenus *veritatem* *amplexuri* sint, nec temere, *Opusculi Th.* *terri culamentis* a *ferio*, *pacis Evangelicorum* *promovendæ* *studio* se *seduci* patiantur. Quod si *consecutus* fuerim, habeo quod *Clementissimo Numini* *gratias referam*, tanquam *Compos* *voti mei*, ut cui nihil in his fuerit *propositum*, atque, *remotis iniquis*, de *Pace religiosa Evangelicorum in Hungaria* *sententiis* ad *Popularem concordiam*, *unicum Hungaria* *quietis Palladium*, *partes dissilientes componere*,

atque Proceribus Patriæ in Excelsa hac Regia Commissione Depu-  
tatis insinuare, nunquam non providis ipsis esse, hoc in  
puncto debere, nec spectandum, quid Clerus Romanus  
voluerit; Sed quid Christiana Religioni, natura pacificæ, fi-  
eri debuerit; intenti, Doctrinæ Illustris Cardinalis Bellar-  
mini, hocce in articulo, juxta. L. ejus. z. de Romano Pon-  
tificæ Cap. 29. sicut inquit licet resistere Pontifici invadenti Corpus,  
ita licet resistere invadenti animos, vel turbanti Rempublicam, &  
multò magis, si aliquam Ecclesiam destruere niteretur Licet inquam  
ei resistere, non faciendo quod jubet, & impediendo ne exequatur  
voluntatem; ut obstupescant, Columna Hungariæ Patriæ no-  
stræ, ad machinas illas Jesuiticas, dudum in occulto fabri-  
catas, quibus innocentes Reformari displodantur, ad arma  
illa Vulcanica, quæ, opusculum Th. in animas, corpora,  
honores bona Evangelicorum, quasi Cherubinos, impetu-  
ose vibrat, ut ab arbore vite, Protestantibus aditum præ-  
cludat, & Clero Romano, holum ut ajunt calidum ingerat, &  
suis principiis, simplicibus imponat, seposito omni Con-  
scientiæ & timoris Dei vindicis sensu, quæ omnia Jura Divi-  
na & humana, quicquid sacrum & inviolabile hætenus fuit  
inter Hungaros, convellunt & subvertunt. Quis enim  
non perhorrescat temeritatem ejus, qui sanctitatem ore  
crepat, & tamen tale principum piorum auribus infusur-  
rare pergit, quo Jurisjurandi Sacramentum, & toties confirmata  
diplomata Regia, articulos & Leges Patriæ, fidemque publicam, te-  
merent & violent; neque eum pudet summa imis mis-  
cere, & Patriam in extremam calamitatem protrudere,  
dum modo avidissima libidine exuviis & prædiis, E-  
vangelicorum, ex sua sententia eliminandorum, ditescendi  
ansam arripere queat, cum tamen, talem impiam dite-  
scendi occasionem a Clero Rom. vel solum exemplum  
Israelis ex territoriis Gibeonitarum, avertere deberet; Fidem  
pacis Religiosæ, toties Evangelicis a Pientissimis Regibus  
datam, susque deque habentes quantum detestetur,  
Deus exemplo Gibeonitarum, toti Mundo declaravit, se vio-  
latio-

lationem fidei, etiam decipientibus, per deceptos data vindicare, quantò minus inultum relinquet, si violetur, quod Clementissimus Rex, cum Proceribus Regni prædeliberato Jurejurando, non saltem promisit præstandum, sed insuper & publica Lege sanxit; utique Gibeonita, Principibus Israel, fraude imposuerant, Quin imo Gibeonita, Gens erant, cum cæteris exitio destinata, Terraque eorum in hereditatem Israel consecrata; Unde ex utraque ratione, illos duplicatas potius pœnas luere debuisse, quàm impunes manere *pervicax ratio* humana deciderat, sed consultus *Jehova*, rectius, fidem illam datam, esse præstandam censuit; & cum contra idem pactum *quadringentis* post annis per *Saulem*, Gibeonitæ laceffiti fuissent, non solum in Persona idem Rex, propter fœdifragium, Verum, post mortem ejus, etiam totum Regnum *Israeliticum* tempore *Davidis*, triennali Terræ clade punitum est, totaque familia *Saulis* propter injuriam *Gibenionitis* illatam fere deleta a Deo fuit.

Quam divinam *nemesis* perpendit *Sacratissimus Cæsar Leopoldus*. dum anno 1701. 24. Maji ad intercessionem Ablegatorum Augustissimi Regis *Magna Brittanie & Ordinum Generalium Fœderati Belgii*, apud Aulam Cæsaream Residentium, *Cameræ, Pofoniensi*, his verbis intentionem suam genuinè declaravit. *Se serio velle ut nihil eorum innovetur, quod hætenus legitimo usu, Regniq; Juribus comprobatum stetit, imò se abominari, si Evangelici adigantur ad talia, quæ publica fide, verboque Regio obfarcire videntur; Hanc Christianam intentionem ergo etiam Dominatio vestra Reverendissima Illustr. Comes Beatissimi Cæsaris promovere potius teneretur, quam deliriis umbratilis Theologastri se in devia vitæ Christianæ, abripi patiatur; neque sibi persuadeat, Se non posse majorum Illustris suæ familiæ gloriam, munusque Episcopale Agriense secus ornare, nisi pro extirpatione Evangelicorum Hungaria, diu noctuque allaboret. Consideret in secreto suæ conscientia, quæ olim in die*

E 3

Judi-

*Judicii Universalis testis erit machinationum talium, quod nota characteristica Ecclesie Christi sit. Spiritus Charitatis. Joh. 13. 33. 34. Lenitatis, tolerantia, proinde fatius esse & consultivus, Illustrissimum Comitem, exemplum vicinorum Eminen- tissimorum Germania Romanensium Episcoporum imitari, & eodem Spiritu Charitatis cum Protestantibus, in sua Diocesi cohabitare: sunt in Imperio Romano-Germanico, Principes Ecclesiastici sublimi jure Provinciali, Majestatis amulo gaudentes, qui in zelo discreto pro Incremento Ecclesia Pa- pana, nulli ex venerabili Clero Hungaria cedunt, sed illo suo zelo, non ita in transversum acti sunt ut credant, se Papanos Ecclesiasticos esse non posse, nisi de extirpandis Prote- stantibus continuo decernant, sed potius in sancta pace & quiete Ecclesie, cum ceteris diversae Religionis statibus de- gunt; Sanctius porro, Deoque complacentius negoti- um, sibi promovendum, in hac Excelsa Regia Regni Hun- garia in negotio Religionis articulari Commissione Pafonii subsum- mere deberet Illustr. Comes, scilicet, sicut in Germania, quoad gravamina Religionis Evangelicæ, æquè ac in Hunga- ria, Pacificationibus ac Legibus publicis stabilitæ, juxta constitutiones Imperii, Dicasteria omnium statuum, cer- to loco erecta, ad quæ omnes difficultates in Causa Reli- gionum Imperii delata a Syndicis præveniuntur & meden- tur: ita & in Hungaria Mandato Augustissimi Cæsaris Re- gis nostri Clementissimi Talem Ordinem Sodalitii pacis Cu- jus statim a Beatissimo Rudolpho Arcana Majestatis suæ, Oceanique sui Imperii pie perpendente memini meditatæ, cogitaret, ut talia certa dicasteria in quibus- dam Comitatus figerentur, ubi non modo gravamina totius Religionis & omnium statuum Protestantium discu- terentur, sed particularium, individuorum etiam contro- versarum & lites in rebus Ecclesiasticis & Religionis utri- usque juxta statuta & articulos Regni Hungaria quotannis ventilarentur & conciliarentur, atque Repagula illa, quæ exterminium Religionis Evangelicæ, (ne summa illa absoluta- que*

que Cleri licentia quasvis persecutiones impingendi amplius miseræ Patriæ lamentabiles tumultus procreare posset). Hactenus Continuo a male contentis tentatum impediverunt, confirmarentur & *violencia* quæcunque contra articulos Regni *patrata*, *articularibus*, aut aliis novis severis pœnis mulctarentur, *Phalaridesque* tales, *Rhadamantino* affectu turgentes amoverentur, qui ut *Ajax* ille *Homericus*, cum hostes ipsi ad feriendum non obvenissent, oves, pro *hostibus* mactandos substituit. *Agnellorumque* quasi *hostium* *Capita*, gladio suo ferali decussit; ita hi *Augustissimo* *Cæsari* id inculcant, ut cum jam *Turca* hostes amplius, gloriosissimis Imperatoris armis ferendi non suppetant, ea expresse *Cervicibus* *Protestantium* consecrentur; quod nuper *Cassoviensis* *Jesuita* *Bossányi*, in concione publica dicere non veritus est, quòve collimat etiam *opusc.* Theo. Faber. p. 2. nunc cum *tenebris superiorum depulsis* *exturbatis barbaris armis invictissimorum Regum*, *lucem Catholicis rebus attulit*, *vis hæreticis omnis inferenda* &c.

Certè, ad illa verba Rever. *Episcopi*, in *Præfamine*, *Opusc.* Theol. *Qua in re non me duci animo, injuriam vel minimam adversariis nostræ fidei inferendi, coram Deo & Excelsa Commissione protestor*, rectè alicui succurrere possunt, verba illa *Pontificum & Sacerdotum Judaorum*, *Christum Salvatorem accusantium*, *Nobis non licet, quemquam interficere*. Joh. 18. 31. & tamen *Pilato tradiderunt*. *Christum D. occidendum, clamantes, si hunc dimitteret, non esset amicus Cæsaris*; ita qui *Evangelicis* faverent & indulgendum ducerent, *Romanenses*, tales non esse *amicos Papæ*. *Hæc fabula in illo opusculo Th.* agitur de nobis, & quod omnium atrocissimum est, hæc omnia, *Clerus Hungaricus* *Christi D.* jussu, & nomine facere, clamitat, *lupinamque feritatem suam, agnina pelle tegunt*. O! seculum *Julianum*, quo tandem delabi *Christianos*, scilicet: *Christi D.* studio, *Sanguinarij* erimus, qui ne aliorum sanguis effundendus esset, ipse suum effudit: *Christi D.* studio *Zizania*, extirpabimus, qui

qui ne frumentum extirparetur, usque ad messem *Zizania* relinqui jussit: Christi D. studio alios persequemur, qui jussit ut oremus pro iis, qui nos persequuntur: Christi D. studio aliis malum intendimus, qui nobis ut pro malo, bonum redderemus, præcipit. Ubi ergo manebit, nobis ab apostolis & Christo tantoperè commendata *charitas*, sine qua, licet omnia scias vel *angelorum linguas*, & fide vel montes transmoveas, nihil es: *Illustrissime D. Comes*, quod si quæ sunt in *Religionis negotio* inter nos *Evangelicos & Romanos* controversiæ, in iis optime *Rev. Episcopus* sequendum sibi, *Judæ Machabæi* suorūque factum, subsummeret, qui de *ara solidi sacrificii*, cum quid statuerent, non inveni-  
rent, ejus lapides in monte *Templi*, loco opportuno collocarunt, donec advenerit *vates aliquis*, qui de iis *oraculum*, referret; aut *Mosis* etiam, cui disertis verbis modo præceptum erat, ut si quis contra *Legem elata manu peccasset*, is *capitis damnatus esset*, & tamen, eum qui in die *Sabbathi* lig-natus erat, interficere noluit, nisi relato super eo nomi-natim *oraculo* divino; ut interim taceam de *Consilio Gamalielis*, qui ostendit *synedrio Tyrannizanti*; si ea res ait ex hominibus est *dissolutam iri*, sin ex *Deo*, non posse *dissolvi*, ne contra *Numen* pugnetur. Quod si dissidentes sibi has res notiores esse putant, quàm illa *Mosis*; fuit (quando ea est facies *Cleri Romani*, ut nemo se errare putet) at certè salvâ fide *Apostolica*, non possumus iidem & *accusatores* esse & *Judices*; sed potius parendum *S. Paulo* ita præcipienti; si quis fide *imbecilla sit*, huic nulla cum animi dubitatione *opitulamini*. Tu quis es, qui *alienum famulum* condemnas, is suo *Domino* stat, aut cadit, consistet autem, potest enim *Deus* eum *stabilire*, nostrum quisque *Causam* pro se dicet apud *Deum*.

Æquum fanè esset *Illustr. Comitem*, *Romanorum Legem*, de *vindictiis* sequi, quæ erat hujusmodi, si quis, qui se hætenus pro *libero* gessisset, vocabatur in *ius* ab aliquo, qui eum *servum* esse assereret, intereà dum *causa* pendeat, *vindicta* dabantur *secundum libertatem*, scilicet; is *cujus libertati insidia creaban-*



bantur, manebat in eadem condicione, qua Liberi, donec in iudicio planum factum ac pronunciatum esset, utrum is liber an servus foret; & merito, cum nempe de ejus condicione dubitaretur; si fortè liberum esse contigisset, & interea pendente lite, despotice serviliter habitus fuisset, facta fuisset libertino gravissima Injuria; at, quantò, id in capitis causa sequi, æquum est, pronunciante Sanctissima Esterra, Regina Incomparabili. Ester. 7. 4. præsertim in religione. Ester. 3. 8. in qua peccatur Hamanitico Scelere gravissime. Expectemus *Justi Judicis totius Orbis*. Gen. 18. 25. sententiam & operam demus, non ut ipsi alios damnemus, sed ut nihil committamus, quam obrem metuenda nobis sit condemnatio, Aufcultemus *Hero, & Zizania*, usque ad horreum sinamus, ne fortè dum supra Magistrum sapimus triticum sincerum proculcemus; neque nimirum adhuc ultimus Mundi finis est, neque nos *Angeli sumus*, quibus hæc mandata sit provincia; certo absurdissimum est, bellum spirituale, armis geri terrestribus. 2. Cor. 10. 4. 5. Christianorum hostes sunt vitia, contra quæ virtutibus certandum est, lethales fontes *Jericho*, non obstructione, non evulsione; sed *Sale*. 2. Reg. 2. 20. *Fidei vitæ & conversationis Christiana*. Col. 4. 6. sanandi sunt. Hæc sunt veræ Christianæ Religionis victoricia arma, non ut *Carnifici* mandetur provincia *Doctoris* (ut *opusculum*. Th. p. 83. 84. dicit) & exteriora poculi prius (traditione *Pharisaica*. Matth. 23, 25,) quàm interiora purgentur, & inter latrones (qui merito crucifiguntur) etiam *Christus* immeritò crucifigatur, *Christique* nomine ornati simul ad *furcam* proclamentur, tales, qui nemini nocent, eoque sunt animo, ut mori præoptent, quàm aliud dicere, aliud facere, quàm quod dici, aut fieri arbitrantur. Nos quidem Protestantes Hungaros, a *Doctrina Apostolica Ecclesia Catholica* nunquam discessisse, in ejusque sinu natos, ab ea nos nunquam divelli passos, neque gratia Dei assistente passuros esse. Hic tamen conflator, *Opusc. Th.* Omnium mendacium, quos unquam



Creta aluit mendacissimus, nostræ innocentiaë audet nigrum. ☉. Hæresos præfigere, & *Classicum Proscriptionis Evangelicorum Hungarorum* cornicatur; quo facto, *Scholam Jesu Christi Lucis & Crucis*. deferens, se *Collegio Ennii*, (qui per cædes & sanguines, in Cælum Viam patere suis alumnis putavit) adscripsit, atque hoc *Programma*, *Portæ societatis suæ*, inscribi, hoc suo *Opusculo Th.* gestiit. *Si fas cadendo caelestia scandere regna, nobis solis celi maxima porta patet*, scilicet illa lata. Matth. 7. 11. Heu pietas, heu prisca fides! O! *Socii!* ista *anæ* est vis & *axioma* salutare, *votivæ jurataque eorum formula*, de hæresi extirpanda, atque restituenda vera religione, ut loco *Dominicarum Evangelicarum*, signa dent militibus, & pro *hymnis Davidicis*, *Orthium* bellicosum *Minervæ* cucubent, quo, *Fratres Hungari*, parricida nece commoriantur, & *Civilibus factionibus* *Respublica Hungaria*, per summam divini & humani juris injuriam, evertatur, *An Reverendis. Episcopus* credit, tantum in Deo esse humani sanguinis amorem, *stimque*, quo rapinis & homicidiis delectetur, eosque sibi quasi charos, *rore misericordiæ suæ aspergere* & in *beatorum sedibus collocare* dignetur, qui ferro & flamma populabundi, domos mox proscriptorum ex regno hæreticorum, prædia, supellectilia, vineas concivium ad exitium & vastitatem vocant. *Quis feret Grachos de seditione querentes.* *Quis unquam Nomothetes*, talis bestialis privilegii: *Jesuitas*, hæreticis extirpandos natos esse, meminit, *Sic male ab indoctis laniatur Nomen Jesu.*

Ridicula quidem sunt *Pica*, e caveis suis vana & in maledica verba perstreptentes; & *cornices oblamydatae* & *spermologi striges*, & *locutuleja talia oracula* nobis nihil curanda. 1. Cor. 4, 3. Verum in id nobis incumbendum est *Illustriss. Dn. Comes*, ut, *colorum istorum, Publicarum Tubarum* seditiosi *taratantari*, *Proceres Patriæ*, *Popularesque*, ad mutuam *interneccionem*, *stimulantes*, in sonos dulciores mitioresque *flæctantur*, quibus *concordia*, & *pietas* in *Regem* & *Patriam*, efferatis animis instillentur, & fortes, *Clarissimique*

que Viri, de Republica Hungariæ benemeriti, *hujus Excel-  
sa Regia Commissionis Presides*, non ad invidiam & diffidenti-  
am, sed ad *amicitiam & communionem* provocent, quo suffra-  
giis eorum, quasi *connexis Clypeis tecti*, omnes ferre libet den-  
sa sub *testudine casus*; neque dehinc ad *nigrorum* illorum  
tales conatus, Reverendissimo Episcopo connivente,  
Popularis ille, apud *Varronem* ad *Sevolam* clamor, ab Hun-  
garis. *Præsulibus Hungariæ* applicetur, *Vos nobis ista importa-  
stis Pontifices, & Salustii*, illa exclamatio. *Omnia in duas partes*  
*abstracta sunt, Republica qua in medio fuerat dilacerata.* Certo,  
notanter, *Christus D. Herus Ecclesia: Matth. 10, 10*, vetuit su-  
os Discipulos suos socios, *quædov. baculum gerere*, quo ad-  
versarios ferire possent, immo, ut omni potentia hu-  
mana, in profligandis injuriis suos exuat, *implumbus pul-  
lustris (ornis)* qua nescio, an convenientior comparatio  
Christianis dari possit, *Matth. 23. 37.* eos comparat; uti  
e contra, *hostes Ecclesiæ suæ, milvris. Zach. 5. 9.* confert,  
propter *pussillum illum gregem*, unde ipse *Filius Dei, Caput*  
*Ecclesiæ*, pronunciat, se in *persona nostra pati.* *Act. 9. 4.* &  
id nobis certo *persvasum esse vult*, eadem ipsum *Sympa-  
thia tangi*, ac si *hostes Evangelii per latus ejus vulnerarent.*  
*Illustrissime D. Comes*, hanc *viam pacificationis Protestantium Hun-  
gariæ*, cum adversantibus Romanensibus, ut *complanan-  
dam in humeros suos Episcopales*, ardentem & celeriter  
fufcipiat, *dignitas vestra*, jubet obligatio ejus, qua in fi-  
delitatem *Domus Austriacæ Gloriosæ regnantis*, *Illustris Familia*  
*Erdödiana* a seculo se devinctam esse profiteretur; majorem  
enim *fidelitatis suæ resseram*, *Tua dignitas demonstrare ea*  
nequit, qua, *subditos suæ Majestati*, in *officio subjectionis*  
retinet & majorem *Regnicolarum partem*, quæ in *Evangelicis*  
*Reformatis consistit*, alte *fatæ Majestatis* amori devinciet,  
quod in totum efficiet, si *conscientiæ libertatem*, illis  
salvam *sartam tectamque sua Mediâione Episcopali* conser-  
vare studuerit, & de *ordine Pacis* *Illustrissimus D. Comes*,  
ab *Augustissimo Beatissimoque illo Cæsare Rudolpho præ-*  
F 2 medi-

meditata, consilia sua insinuaverit potius Excelsæ ac  
*Inchyæ Commissioni Hungariæ*, non vero *Ordinem Lanienæ*, *Pro-*  
*testantium*, per *Jesuitas* in *Evangelicis* perpetranda delinea-  
 re; sed svadere debet, eam *Complanationem* in se devol-  
 vere, *Illustriissimæ Dominationi Vestræ* (si *Conscientiæ*  
 & *Justitiæ* dictamen, id post pacta & *Leges Regni*, nec  
 non *juramenta Publica* inculcare non valeant) *Prudentia*  
*illa Ecclesiastica*, de qua antè paulò dixeram, & *Politica*,  
 majorem *Populi Partem* inconsultè non lacefferè, aut  
 irritare, sed amore & beneficiis etiam novis in subje-  
 ctione, eò magis conservare, allaborare, quo *genius na-*  
*tionis nostræ* aliquanto ferocior, & *jugi magis*, quàm aliæ  
*Gentes* impatiens esse scribitur. Enimvero summi bene-  
 ficii loco *Populus* semper habuit, in *libertate religionis* re-  
 linqui, si enim pius est, omnia potius temporalia ne-  
 gligit & eripi finit, quàm ut se *cogi patiatur*, ad ejusmo-  
 di cultum, quèm conscientiæ suæ contrarium esse per-  
 svafus est.

Hoc beneficium quod cæteroquin *Legibus Regni*, & *Jura-*  
*menti Regii sacramenti* jure optimo, maximo debetur, si  
*Hungaris Reformatis Evangelicis* inconcussum servabitur, *Re-*  
*bellionum Confœderationum Capitibus*, non tantum  
 non adhærebunt; sed se cuivis, quovis tempore mascu-  
 lè opponent, & a parte *Augustissimi Regis* stabunt; si tali  
 vinculo & beneficio, quò nihil arctius est, & quod *Aug-*  
*ustissimo Regi Cleroque Romano* nihili constat, imo ad quod  
 jam iste adstrictus est, uniantur: non de lucro captan-  
 do, vel utilitatibus in *prejudiciùm Ecclesiæ Romanæ* aquiren-  
 dis contendunt *status Evangelicæ Hungariæ*; sed tantum  
 de damno, aut ipsa internectione clandestina aut exter-  
 minio vitando laborant, adeo ut, quam merito sua fa-  
 ciant heic loci, verba illa *Augustissimæ Reginæ Estheræ*; con-  
 tra *Hamanum* ad *Potentissimum Regem Assuerum* directæ.  
*Esth. 7. 3. 4. Si inveni gratiam in oculis tuis, O Rex, & si tibi*  
*placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo & populum meum*  
 pro

pro quo obsecro, Traditi enim sumus ego & populus meus, ut conteramur, jugulemur & pereamus, atque utinam in servos & famulus venderemur esset tollerabile malum, & gemens tacerem, nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in Regem, & verba illa Mardochei, Populi Dei Mecœnatis. Cap. 4. 14. ad Reverendissimum Episcopum convertere, Quis novit an a Deo propterea promotus est Illustrissimus Comes, ad imperium Episcopale, ut hoc opus libertatis Evangelicorum Hungariæ perficiatur, supplicesque hos gemitus eorum, si supprimat, aliunde Deus vocabit liberationem & recreationem Protestantium qui consilia Humanica disturbabit; Deus enim noster velut ex transverso, machinamentis, hostium Ecclesiæ solet occurrere; atque eorum commissiones, qui astutia potentiaq; sua subnixi, publicum statum pro sua libidine volvent, tales vicissim volvendo volvere, instar globi, ut Sobnæ Præsecto domus Davidis. Esa. 22, 15. 17. interminatum fuit. emphaticum est certò verbum, 1. Cor. 3. 19. a Jobo. Cap. 5. 13. mutuatum. *δεσποσεν, carpiū comprehendit Deus sapientes in panurgia eorum qualia consilia foveas vocat. Ps. 119. 85. Foveam foderunt in quod ipsi inciderunt Psalm. 57. 7. quo collineat illud Politici consilium malum consultori pessimum, nempe quam facile est, incurvatum, fodendi labore fatigatum in foveam protrudere; destruit Clementissimum Numen, pariter consilia sibi adversa, nullo cum negotio, levi momento, facili commento. Puellus. Act. 23. insidias Judæorum adversus Paulum revelans conspirantes in necem fidelium confundat, & per jocum quasi & ludibrium dissipat. Psal. 58. 8. 9. 10. & irridet. Ps. 2. 4. circulum in naribus ponendo, & strænium in labris. Esa. 38, 29. imo paralogismo saepe Deus utitur in fidelium respirio, ut Cyrus eadem restituat populo Dei, quæ Nebucadnezar abstulit, nempe Esdr. Cap. 1. Spiritu ejus excitatus a Jehova, unde ipse Cyrus ait. v. 2. commissum, sibi esse; ut adificet domum Jehovæ. O Inclytum Commissarium.*  
 Persuadere demum debet hanc Reconciliationem in manus suas Episcopales assumere Illustrissime Comes, Dignitati vestræ,

stræ, suavissimus ille *summi Episcopi*. 1. Pet. 5. 4. *Archipoimeni* Christi Domini, primæ *Concionis textus* Catholicus. Matth. 5. 9. *Beati pacifici, quoniam illi filii Dei vocabuntur*; εἰρηνοποιος Græcis dicuntur, qui aliis dissidentibus medios se interponunt, pacisque studiosi, & ipsi quieti & pacati sunt, & pacem inter alios conciliant, qui eos, a quibus ipsi offensi sunt, sibi; eos, qui inter se dissident, sibi mutuo; denique eos, quibus cum Deo non convenit, Deo reconciliare conantur pacem omnimodam amantes & colentes. *Rabbinis creditum, a mortuis accusari apud Deum vivos eos, quibus in hac vita reconciliati non fuere, beati ait Dominus tales Pacifici, quia filii Dei vocabuntur, Erunt Deo Christo, Filio Dei, qui Pacificator totus est, similes ac proinde dilectissimi, & habebunt sortem filiorum Dei, gratiam salutarem in hac vita & gloriam in futura. Filii alicujus vocantur, in Schola Spiritus Sancti, qui ejus mores imitantur, sic filii Diaboli. Joh. 8. 38. 44. Filii Abraham. Rom. 9. 6. 8. Filii Dei vocabuntur, Dei; qui, non vult mortem peccatoris, sed vitam, vocabuntur Filii Pacis. Matth. 10. 11. hæredes Pacis Dei & cohæredes Filii Dei. Rom. 8. 17. Illustrissime Comes maxima est hæc dignitas & Prærogativa, super omnes honores titulos, majestates mundi, esse Filium Dei, Efdra 2, 62. 63. refertur de filiis Pontificum aliquibus, qui reduces Babele quæsiuerunt genealogiam suam, in Archivo sacerdotum, sed non inveniabantur, quapropter ut polluti, profani, extranei a Pontificatu excludebantur; non cuivis indulgetur nomen, & jus familie illustris, inter homines nisi titulum suum queat derivare & docere. Qui se filium Dei, prædicat, debet jus suum demonstrare, secus eo turpius excludetur, omni hæreditate Cœlesti, nam quicumq; sunt filii Dei, etiã sunt hæredes Dei. Rom. 8. 17. Testimonium omni exceptione majus non potest produci, in die illo Panegyrico Judiciali, hæreditatem omnem divinam adevundi, juris. Matth. 25. quam Testimonium ipsius Testatoris æterni Testamenti Pastoris. Heb. 13. 20. atqui; aureis cœlestis*

Au-

Aulæ Cancellariæ literis hic *caracter* solum inscriptus *Frontibus filiorum Dei*. Apo. 3. 12. 22. 4. *Pacifici Filii Dei*, ex ore filii Dei Jesu Christi exceptus: prout frontibus excludendorum, ex eo Regno inscribitur. Rom. 2. 8. hoc: *ex Eri-theias, hi ex contentione, contentiosi*; hoc Percussus argumento. *S. David*. Ps. 34. 12-15. monet, *Fili Quære pacem & prosequere eam, quare ait Spiritus S. ceu qui rem pretiosam, margaritas* obtinere vellet, studiose ab omnibus inquireret, ubi possint reperiri, & non tantum aliorum sermonibus attenderet, qui vel ignorantes, nihil, vel mentientes male, vel desperantes ignavè responderent, sed ipsemet omni difficultate & molæstia contempta, ubi, ubi essent sectaretur; non quieturus donec inventis potiretur, & sic eam, quod dicitur; *assequeretur*. Præmittit autem Spiritus S. tum *motiva*, quæ excitent, tum *media*, quibus utendum est, *motiva* sunt I. *moderamen lingue*. v. 14. Nihil magis expeditum ad turbandam pacem, quam lingua. Jac. 3, 5-7. 11. *medium*, v. 15. *Actionum innocentia*. quod *S. Paulus*. Heb. 12. 14. sic illustrat. *Pacem sectemini cum omnibus, sine quâ nemo videbit Dominum S. Jacobus* verò. ita: Cap. 3. 18. *Fructus Justitiæ seminatur in pace iis, qui pacem faciunt, Sanctus David*. Psal. 37, 37. *Perfectio, rectitudo, extremum est Viro Pacis, Regnum enim Dei, Apostolo confirmante est justitiæ, suum cuique tribuens, & pax & gaudium per Spiritum S. in Episcopis Romanis*. Rom. 14, 17. unde monet, *idem, sentire, pacem agere & Deus charitatis erit Vobiscum*. 2. Cor. 13, 11. Ergo consilio *Eliphazi*. Job. 22. v. 21-30. *media* procurandæ Pacis sequenda sunt. *Illustriss. D. Comes*, hanc pacem erga Protestantes Hungariæ debet *Dignitas Tua*, ergo simili nisu, affectu, consilio, opere, verbis, scriptis (quò hætenus statum Evangelicam persequuta est) prosequi, & *prudencia sua Ecclesiastica*, apud *Augustissimum Regem nostrum*, apud *Excelsam Regiam Commissionem Pisoniensem*, perficere, ut *Titulum Filii Dei præ Episcopi Agriensis jure hæreditario*, in altissima illa *Aula Cælestis Panegyrica & strictissima Commissionem*, coram *Bemati Tribunali*  
Chri-


Christi Rom. 14. 10. consequatur. Certe Persecutione enim illa, quam hoc Opusculum Th. intendit & intentat, Evangelicis, illum *Titulum Filii Dei*, Reverendissima Dignitas Tua, pro certo (hac mea Epistola nunc coram Sanctissimo Deo Patre, Christo, unico capite Ecclesiae & Spiritu S. Paraclero Procuratore Cœlesti, Ecclesiae Evangelicæ; & Ecclesia omni Christiana novi Testamenti orthodoxo Catholica, protestor, ut Protestantis Ecclesia minister Pastor.) nunquam assequetur; ast pace, mediatione, institutione, Intercessione, Reverendissimi Episcopi, nobis procurata, certissime vocabitur *filius Dei*, & habebit *Pacem* Tua dignitas, in corde suo, Esa. 57. 16. 20. Phil. 4. 7. *Pacem*, invita, ut tentoria ejus Episcopalia fiant in pace & quiescat in cubili suo. Esa. 57. 2. præreptus malis si quæ imminerent Patriæ Hungariæ; concludo hoc respectu voto Apostoli. Heb. 13. 20. 21. Deus Pacis, compingat nos ad omne opus bonum, ad præstandum ejus voluntatem, efficiens in nobis, quod gratum sit in conspectu ejus ut, omnes qui *Christiani* dicuntur, tales efficiat, quales Domini sectatores delineavit Tertullianus, *custodes veritatis, professores modestiæ, virtutis operatores, nullius hostes, sectatores spiritualium, discipulos cæli*, per Jesum Christum Dominum nostrum cui sit gloria in secula seculorum Amen.

Cassovia, ipsa die Concordiæ pio  
si Deus volet omine. Men-  
se Febr. A. D. 1721.

PAULUS GYÖNGYÖSSI, S. S. Theol.  
Doctor. Apostolicæ Ecclesiæ Anglicanæ  
Presbyter. p. t. Ecclesiæ Reformata  
Cassoviensis Pastor pro æterna pace  
Augustissimi Imperatoris Regis nostri  
Clementissimi, ac Reverendissimi  
Episcopi apud Aulam cœlestem inde-  
finens Orator.








Ung VI 52 ✓

ULB Halle

3

004 931 130





# ALTARE PACIS

*Pro Votis Irenicis erectum*

## ARÆ PILATI GALILÆORUM

Luc. XIII. I. substituendum, super *Tumulum*

## OPUSCULI THEOLOGICI

In quo quæritur. *An possit Princeps, Magistratus, Dominus Catholicus in ditione sua retinere Hæreticos, vel contra pœnis eos, aut exsilio ad fidem Catholicam amplectendam cogere,*

*Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Comitis*

FRIDERICI ANTONII  
DÖEDI

nyorokerek

AGRIENSIS,

*Statuum Varasdinensis Perpetui,  
oris Szolnok Supremi COMITIS,*

*Militis & Martyris de Jaak,  
riaque Majestatis Consiliarii,*

*Lucem editi, atque*

REGIÆ ac INCLYTÆ,

*in Negotio Religionis,*

COMMISSIONI, *ab Eodem oblati.*

*Academicis per Frid. Gall. 1721.*

adolphum Timotheum, 1722.

voto *Fautorum.* 1729.

